

image
not
available






BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
27 A
19



DE RAPTV MANRESANO S. IGNATII DE LOIOLA FVNDATORIS SOC. IESV

LIBRI IV.

AVCTORE P. CAROLO WERPÆO Condrusio, eiusdem Societatis.




ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum Verdussium.

M. DC. XLVII.



ADMODVM REVERENDO
IN CHRISTO PATRI
P. VINCENTIO CARRAFÆ
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO
GENERALI.





RAPIMVR, admodùm Reu. Pater, ſed à TE: nec interualla locorum, nec iuga Alpium me morantur. AMOR eſt, qui me trahit, omnium is victor: Imò ROMA eſt, orbis triumphati caput. Imò VINCENTIVS eſt, à quo vinci, & vinciri glorioſum. Tu mihi nimirum es, quod ferro magnes, quod heliotropio ſol, quod paleæ electrum. Rapior, quid obluctter? non audeo, imò gaudeo ſic rapi à VINCENTIO, qui nuperis comitiis generalibus, ita omnium ad ſe corda menteſque rapuit, vt noſtri Ordinis ſupremus Ductor LII. ſuffragiis, prima ſortitione electus ſit, & renuntiatus non Vrbe tantùm

Romana, ſed & orbe propemodum vniuerſo plaudente. Et ſanè meritò hoc munus excelſum, eximiæ Virtuti Tuæ cum ſumma nobilitate coniunctæ debebatur. Ita eſt, neutrum horum diu in occulto latere poteſt: Nam genus & virtus, vti Sol, ſua luce ſe produnt. Et quoniam virtutes Tuas proferre, Modeſtia Tua non patitur; certè nobilitatem Generis veſtri, tacente me, Italia tota ſat prædicat; quæ inter illuſtria Carafææ Gentis decora (præter Epiſcopos plurimos, Archiepiſcopos, Patriarchas, & legatos Apoſtolicos) facilè percenſet VIII. Archiepiſcopos Neapolitanos, S.R.E. Cardinales IX. & vnum Pontificem Maxim. PAVLVM ſcilicet, eo nomine Quartum: Ex aliis verò proceribus Comites LXX. Marchiones XXXII. Duces XLIV. alioſque complures Heroës ac principes longè clariſſimos. Hos inter Proceres iuſtiſſima ſuffragatione, nouo titulo fulges, & ab iis lumen accepturus, & de Tuo illis daturus.

Sine igitur me Admod. R. Pater, ſincero animi, Tuæ Electioni aggratulantis affectu, hunc IGNATII partum dicam an raptum (in quo & ipſiuſmet, & ſectatorum eius res geſtæ compendio repræſentantur) Tuo nomini

nomini inſcribere. Eccui enim potius, quàm TIBI? qui IESV Societatem, S. IGNATIO, in Raptu Manreſano præmonſtratam, Pariſiis deinde conceptam ac natam, ROMÆ poſtmodum educatam & confirmatam, ac demum per omnes mundi oras latè diffuſam, pari virtutis & ſapientiæ laude adminiſtras.

R. P. MVTIO VITELLESCO fel. mem. deceſſori veſtro, viro piiſſimo, PIAS LACRYMAS dedicaram. TIBI verò animo ſuper hæc caduca & mortalia ſemper erecto RAPTVS hic deſtinabatur. RAPTVS planè ab omni hominum memoria illuſtriſſimus, ſiue modum illius ſingularem, ſiue temporis diuturnitatem, ſiue rerum ſpectandarum ſeriem ponderemus.

Dabit, vt opinor, veniam P.V. tenuitati meæ, ſi ſublimem illum raptum æquare dicendo non valuerim: Vetus illud dictum hîc me ſolatur:

In magnis voluiſſe, ſat eſt.

Sed inprimis Paterna veſtra Humanitas (quæ exiles haſce reculas noſtras intueri non dedignatur,) iacentem me attollit & recreat. Quare illud Vatis Eliſei lubens inclamo:

Pater mi, Pater mi, currus Israël, & auriga eius. a Eia tecum

Eripe me populis, & habenti nubila terræ. b

Quod beneficium dum à Superis, & R. P. V. humi prostratus expecto, interea DEVM Opt. Max. enixè obtestor vt P. V^am. nostræ SOCIETATI diuino planè consilio præpositam, ex meo, & omnium voto diutissimè tueatur incolumem. Hui, Condrusiorum Metropoli. Anno 1647. 1. Iulij.

Admodum R^dæ. Paternitatis Vestræ obsequentissimus in Christo Filius, ac seruus

CAROLVS WERPÆVS.

a 4. *Reg.* 2. b *Valer.* 1. *Argon.*

Beneuolo Lectori S.



Nno 1640. *Condita Societatis* IESV *sæculari, siue centesimo, statueram aliquod Poëma Epicum (vti constare potest ex Bibliotheca scriptorum Societatis à P.Philippo Alegambe edita) de raptu seu Ecstasi Manresana* R.P.N.IGNATII *in lucem emittere, iamq; illud tum temporis prope confectum erat: Verùm dum id inter digitos, calamumq; supra opinionem excresceret, rem inchoatam tunc deserui: Superiorum tamen meorum impulsu, opus pluribus annis derelictum resumpsi, ciq; non pro voto, sed pro ingenij mei tenuitate extremam manum addidi.*

Erunt tamen nonnulli (vti pronum est conijcere) qui in hac materia, multa quasi à me prætermissa desiderent: verùm hos velim meminisse, me epitomen dare, eamq; succinctam, & multarum rerum semina iacere, ex quibus plurima deinde enasci, & colligi possint. Præterea cùm studiosæ iuuentuti sacram Poësim amanti potissimùm scribam, duo mihi vitanda proposui, prolixitatem nimirum, & obscuritatem, quorum quidem primum effugere conatus sum, rem aliàs amplam in pauca conferendo: atq; tantummodo breuiter tractando, quæ

ad fidei propagationem, animarumq́ salutem spectant. Alterum verò, multarum Prouinciarum, Collegiorum, virorum illustrium nomina propria, aliasq́, res gestas sanè quamplurimas (quæ vel ex Historia Societatis, vel Imagine primi sæculi à RR. Patribus Flandro-Belgicæ egregiè concinnata, vel ex accurata synopsi P. Iacobi Damiani, vel vitis nostrorum in lucem editis petere licet) omittendo; nonnullas tamen breues adnotationes addendo, quæ rebus ac verbis obscurioribus, aut minùs notis aliquam lucem afferrent.

Sed quoniam iam mentionem Imaginis 1. sæculi fecimus, lubet hîc vnum addere, cuius Lectorem ignarum esse nolim. Extat igitur in dicta Imagine 1. sæculi. l.1.p.163. Poëma versu Heroico conscriptum pereleganter, & eruditè, in quo tractatur etiam de Ecstasi S. P. Nostri, fingiturq́ AMOR diuinus futuram Societatis progeniem S. IGNATIO exhibere. Cui nonnihil affine argumentum quia tracto hîc l.2. erit fortasse non nemo, qui putet me aliena scrinia compilasse, & inde conceptum desumpsisse: sed sanctè assero me totam hanc rem in suos libros digestam, & magna ex parte compositam habuisse, antequam Imago sæculi prodiret in lucem. Cuius rei testis luculentus esse potest R P. Florentius Montmorency, tunc Gallo-Belgicæ nostræ Præpositus Prouincialis

&

& modò Romæ Aßistens Germaniæ postremis Comitijs feliciter electus. Aio porrò hoc Poëma non vidisse me, nisi post longum, ab editione tempus elapsum. In quod vbi incurri, hæsi, fateor aliquantisper attonitus, non ideò tamen desij postmodum rem meam prosequi: quia etsi interdum aliqua ex parte (quod inter varios auctores fieri non rarò aduertimus) in conceptu conueniremus, stylo tamen, & verbis planè discrepamus, vti legenti satis constabit.

Denique apertè fatendum est, conceptum hunc vtriq; communem referendum esse in primum Auctorem P. Virgilium, qui l. 6. Æneid. ingeniosè introducit Anchisen Æneæ filio venturam Romanorum stirpem, longo ordine demonstrantem.

Ad extremum Te obsecro, benigne Lector, vt nonnulla virorum illustrium encomia, quæ variis in locis occurrent, eo animo legas, accipiasúe, quo à me scribuntur: hoc est, nolim existimes me plus velle virtuti sanctimoniæúe tribuere, quàm fides humana exigat: ac proinde nolle vllo modo S. D. N. VRBANI VIII. decreto contraire, sed velle omnino, hæc omnia S. Romanæ Ecclesiæ censuræ submittere, vti hac protestatione præmissa me facere asseuero.

Pro-

Protestatio Auctoris.

CVm S. D. N. VRBANVS, PAPA VIII. die 13. Martij A. 1625. decretum ediderit, idemque confirmarit die 5. Julij 1634. quo inhibuit imprimi libros, qui hominum Sanctitatis famâ illustrium gesta, miracula, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus, à Deo accepta, contineant; sine recognitione atque approbatione Ordinarij &c. Idem autem S. D. N. die 5. Iun. 1631. ita explicuerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, benè tamen ea, quæ cadunt super Mores, & opinionem cum protestatione in principio quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Rom. sed fides tantùm sit penes authoré. Huic decreto, eiusque confirmationi, atque explicationi, eâ quâ par est reuerentiâ, & submisione insistendo, profiteor sancteq; affirmo me haud alio sensu accipere, aut ab vllo accipi velle ea quæ in hoc poëmate continentur quàm quo ea solent, quæ humana auctoritate nituntur, ijs dumtaxat exceptis, quæ à S. Sede suam iam approbationem acceperunt.

Bene-

ARGVMENTVM TOTIVS OPERIS.

Ex Prima parte Historiæ Societatis IESV.

Auctore NICOLAO ORLANDINO eiusdem Soc. Sacerdote.

INter Ecstases, quæ B. P. IGNATIO contigerunt, vna ante omnes octidui spatio memorabilis fuit. In Completorio enim sabbati auocatus à sensibus, cùm octo ipsos dies ita quasi exanimis iacuisset, vt homines pij condituri sepulcro fuerint, nisi latentis vitæ reliquias ex tenui cordis palpitatione deprehendissent; in Completorio item Sabbati proximi, quasi è somno euigilans, & Ah! IESV, suauiter ingeminans, surgensq; omnes qui intererant, admiratione compleuit.

Quo tempore pia est, ac probabilis coniectura, vti olim Gentium Doctor triduo illo, quo nec manducauit, nec bibit, ac multorum sententia raptus est in tertium cœlum, audiuit arcana verba, Euangelijq; sacrosancta mysteria, & formam Ecclesiarum diuinitus accepit: Ita IGNATIO huius minimæ SOCIETATIS quasi fabricam, & exemplar ostensum. Ita Orlandin. l. 1. n. 28.

SVMMARIVM EORVM

Quæ his quatuor Libris continentur.

Liber 1. *comprehendit Conuersionem, & Ecstasim* S. IGNATII, *ac breuiter monstratam* Soc. IESV *ideam.*

2.	*Continet gerenda per Societatem*	*in Europa.*
3.		*In Asia, & India Orientali,*
4.		*In Africa, & America, seu India Occidentali.*

FVSIVS ARGVMENTVM LIBRI PRIMI.



ANCTVS IGNATIVS Societatis IESV Fundator, natus anno 1491. in ea Cantabriæ regione, quæ Guipuzcoa dicitur, ex Nobilibus & pijs parentibus, Beltramo Loiolæ & Ognes Domino, ac MARIA Saez de Balda; vbi adoleuit, rei militaris laude excelluit. Vnde postmodum in arce Pampelonensi tuenda, an. 1521. æneo globo in dextera tibia grauiter læsus, à S. Petro Apostolorum Principe (quem præcipuè colebat, cuiusq; laudes versu Hispano olim celebrarat) per quietem apparente confirmatus, sensim valetudinem recuperat. Tempore morbi piorum lectione librorum impulsus, diuino obsequio mancipare se statuit. Sanitate corroboratâ ad Montem Serratum tendit, vbi splendidas vestes egeno largitus, tunicam rigidam è cannabe induitur, ac nouam militiam auspicaturus noctem (cui dies festus Angelicæ salutationis illuxit,) ante B. Virginis aram, modò stans, modò genu-

 flexus,

flexus, in precibus ducit insomnem. Inde Minorissam, siue Manresam oppidum, tribus à Serrato monte leucis dißitum proficiscitur, vbi ad S. Luciæ nosocomium diuertit, inibiq; inter inopum greges & mendicabula, ac frequenter in quadam specu ad littus fluuij per campum Manresanum decurrentis versatus, vitam corporis maceratione asperam, sed delicijs cælestibus suauem instituit. Interim de IGNATIO, magna apud Superos agitantur consilia. Ei in diuturna octo dierum ecstasi, futura quamplurima reuelantur, atque inprimis condendæ Societatis idea, eiusque ortus, ac progressus declaratur. Angelo dein tutelari Duce in raptu illo perillustri, orbem vniuersum iubetur animo perlustrare, vt varia Religionis suæ construendæ domicilia, personas, ac gesta summatim agnoscat.

DE RAPTV MANRESANO S. IGNATII DE LOIOLA FVNDATORIS SOC. IESV

LIBER I.

DIfficiles orsus, Manresanasque latebras
IGNATI, superoque palam reserata Senatu
Consilia, & gemino spectacula visa sub axe,
Illustremque nouo ductore euoluere gentem
Aggredior. Tu prima, DEVS, tu summa potestas,
Tu mundi Dianæa, tui rege vatis habenas.
Te sine nil altum mens concipit, & vaga circum
Fræna labant, noctemque atram, casusque sinistros,
Erroresque viæ metuens auriga laborat.
Tuque adeò ô nostri dux agminis, inclyta IESV
Gloria, cælicolûm felicibus addite turmis
IGNATI, tua per vestigia tramite certo
Da Sacros penetrare aditus, vbi maximus æther
Incubuit terris, mundoque arcana retexit
Non audita prius: nobis hæc semita cordi est,
Hîc tua res agitur, tua ne primordia spernas,
Et mea, nam potis es, dextro pede cæpta secundes.

Iam

Iam dudum immani bellantum saucius ictu
Senserat extremis admota pericula metis
Loiolides, dubiaque animam sub morte trahebat.
Illum incumbentem precibus, tacitæque recessu
Sedis, anhelantes tollentem ad sidera vultus
Spes incerta coquit: iam decretoria lethi
Nox aderat, femoris dum crudum & flebile vulnus
Ostentat cælo, mœstaque ita voce precatur:
Tu qui stellifera latè vitæque necisque
Arbiter arce tonas, cuius mortalia nutum
Corda pauent, sperantque, meis nunc annue votis.
Eheu! præcipitis languentem in cardine fati
Aspice me, tantum hoc: &, si pietate meremur,
Deposito affer opem: læsis tua nempe medela
Gratior est, cùm sera venit. Si forte iuuandi
Demandare vices placeat, (sunt mille medentûm
Arma aciesque tibi) non abnuo: magna ciebo
Nomina: Tu multùm nobis consuete vocari
Maximè bissenæ princeps ex ordine turbæ
PETRE tuo tandem nunc auxiliare clienti:
a Si quid ego, nomenque tuum, laudesque canendo,
Clangores inter lituorum, horrentiaque arma,
Carminibus quondam potui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum, miserere animæ labentis, & istos
Qui me conficiunt (nisi iam medeare) dolores
Porrectâ solare manu: si vixero, tanti
Muneris immemorem me nulla redarguet ætas.
Hæc inter placido demittens lumina somno
Conticuit, mediosque ægro sub corde repentè
Abrupit gemitus: species illapsa sopori

Lætior

a Ignatius solitus etiam in bello D. Petrum, Apostolorum Principem Venerari, & versibus Hispanicis celebrare.

Lætior, humentes oculos, & ſaucia terſit
Pectora, (vera cano) manifeſto in lumine PETRVS
Adfuit, & medicâ liuentia vulnera dextra
Attigit, abiecti blandus ſolator alumni,
Promiſitque diem, properataque fata moratus,
Diſtulit in ſeram lethalia ſpicula, mortem.
Loiolæ mox rupta quies, oculique iacentis
Affuſum ſenſere iubar, circumque patroni
Abſentis vocem, vultuſque requirit amicos
Iam melior, nec enim ſpecies erat irrita ſomni,
Quamquam non omnis pulſa inclementia morbi
Plagarumque dolor, tamen ingens corpore ceſſit
Sæuitia, atque nouæ redijt ſpes altera vitæ.
Plenus prodigijs attollit membra, toroque
Erigitur; ſuperos, ſeruatoremque ſalutans
Promeritas hilari promit de pectore grates.
Maioreſque parat cantus, vbi fugerit omnis
Languor, & antiquæ repetent præcordia vires.
Interea longi quò luctum ac tædia morbi
Falleret, & lentis labentes paſſibus horas,
Iliacas poſcit, commenta euanida, pugnas,
Actaue Romulidum, veterumve inſana gigantum
Prælia, (ſed rectè ſuperi has voluiſtis abeſſe
Ingenij illecebras, vacuæ oblectamina mentis)
Ergò tibi ſacros, heroum inſignia, faſtos
Poſtulat, hos auidus rapit, oblituſque dolorum
Dulcibus indulget ſcriptis: vt fortè viator
Quem dudum medij, feſſum, de culmine mundi
Torret anhela dies, nitidi ſpiracula fontis
Vmbriferamque ſpecum nactus, mox obuius haurit
Vndantem lympham, & toto ſe proluit amne.
Indigetum geſtis, viuo ceu fonte, Loiola

Gaudet

Gaudet hians,nunquãq; satur,magis haurit,& ardet,
Explerique nequit: sed dum Ductoris IESV
Bethlemios ortus, vitamque, & facta volutat
Ardua, verborumque faces, obitusque dolendos
In trabe funereâ, tum demum exclamat; abundè est
Mauorti mundoque datum; nunc altera bella
Incipiam, duce te, IESV. Male gessimus arma
Hactenus, & nostro nimium gauisa cruore
Sanguineâ Bellona manu (sic prælia pensat)
Me miserum strauit, casuque afflixit acerbo.
Tecum tuta via est, tua per vestigia pressum
Claret iter, subeant si vulnera, vulnera pro te
Non renuo lethumque pati. Sine sanguine coelum
Non emitur: Post dura venit certamina merces
Dulcior. O! quis me Cedronis valle recuruâ
Sistat,& incolumem Solymæis inferat aruis
Lustraturum oculis collem *Patientis* IESV,
Sanguineasque notas, monumentaq; prisca dolorum.
Felix qui potuit patriis egressus ab oris
Hæc peragrare loca, & quondam florentis Idumes
Culmina,diuinas latè euulgantia laudes,
Atque in Golgotheâ defigere rupe penates.
Fortunatus & ille sacram qui legit eremum,
Paulique AntonIque lares, dulcesque latebras,
Macarij, vmbrosumue piæ *a* Bethanidos antrum;
Sub pedibusque solum, & vani ludibria vulgi
Pressit ouans, patriumq; animo perrupit olympum.
Non illum trabeatus honos,non splendida regum
Sceptra, nec ab alio saturatæ murice vestes,
Nec diadema mouet, Pariis neque fulta columnis
Atria, sollicitos circum explicitura ministros.
Non


a id est, Mariæ Magdalenæ, à castro Bethaniæ sic dictæ.

Non rutilis Pactolus aquis, non fulua metalli
Congeries: ridet quidquid vesanus adorat
Orbis, & insidias mendaci horrescit in auro:
Odit & astantes aulai in limine curas,
Circæosque dolos, & amaro gaudia fundo,
Atque interruptis regum aduigilantia somnis
Agmina demirans, famulasque ex ordine turmas,
Classicaque, & lituos, & agentia tympana Martem.
Quid moliris, ait, genus infelicis *Adami*,
Quo ruis? aut qua spe perituros prendis honores
Deliciasque breues? tenues mox ibit in auras
Pompa leuis: non hinc comitem asportare licebit
Fortunam; fugitiua manus deludet imago
Mobilibus Zephyris, volucrique simillima fumo.
Nulla quies satiesue datur mortalibus oris,
Vlterior tentanda via est: super æthera mentem
Erige; sunt illic mordacis nescia luctus
Gaudia, sunt læti formosa per atria plausus,
Æternumque melos, viridi præcinctus oliuâ
Ante fores, roseæque micans in postibus aulæ
Adstat honos, laurosque animis victoribus offert;
Porrigit & multo intertextam sidere pallam,
Ac festum peana canit: sine felle voluptas
Hîc habitat, refugasque procul iubet ire querelas.
Ambitus hic nullus, gaudet consorte potestas,
Hîc amor, hîc nullo pax emoritura sub æuo.
Huc agite excussis telluris inanibus vmbris,
Vos quibus & virtus, & spes ad grandia natæ,
Tendite, dum rerum patiens calor, & noua mentem
Fama trahit; iuuet hîc omnes intendere curas.
Hæc dum Loiolides dîo inflammatus amore
Secum agitat, iam iamq; animo pulcherrima coepta
Digerit,

Digerit, & tardum signis remorantibus annum
Stare gemit; coquit alta dies noctesque recursans
Cura virum, si quando humilis decedere tectis
Germano mirante queat, Solymisque potiri
SERRATIVE iugo: nimiùm spes anxia mentem
Extrahit, & longis consumit tempora votis.
Ergo vbi collectum robur, viresque receptæ,
Conceptum dispensat iter, multumque priori
Dissimilis, patrias arces, fratremque supremum
Multa obtestantem, præclaraque cœpta morantem
Deserit, (ingenti superûm quis amore calentem
Sistat?) & egregio proculcans omnia passu,
Visit anhelatum *Serra* de nomine montem:
Quem *Virgo* fertur cunctis præ collibus vnum
Hesperijs adamasse plagis. hîc illius ædes,
Hîc aræ celebres. illum *Clementia* montem
Delegit, parsura reis: locus vndat egenis,
Semper habet trepidos, nunquam sine supplice turba
Ire iuuat, nulla damnantur vota repulsa.
Huc igitur cupido (sensum mens læta laborum
Abstulerat, viresque supra stimulabat euntem)
Deuenit Loiola gradu: vix ardua visu
Culmina mensus erat, subita cum voce salutat
Dulce solum collesque sacros, atque oscula terræ
Delibans caro conspersit puluere vultus,
Lætitiaque fremens, lacrymis sic fatur obortis.
Rectè habet, ô superi, gratum est, MARIA, peracta
Spes longinqua viæ; vici mea vota, labantes
Traximus huc artus: tua me tua gratia, CHRISTE,
Detulit, ô Virgo, tuus impetus: Eia, age templis
Immeritum me siste tuis, & montibus infer,
Vocibus hic alijs, & suspiratibus vtar.

Dixerat,

Dixerat, & tyrio ſuffuſam murice pallam
(ô facinus palmare !) auroque rigentia texta
Diripit, atque omnes inopi tranſmittit habendas
Militis exuuias ; crudam mox inde lacernam
Induitur, ſibimet vix cognitus, omnia viſu
Sic mutatus adeſt : torta de cannabe cingit
Zona latus, laterique affixa cucurbita vilem
Sedatura ſitim, moderator ſcipio greſſus
Inualidos firmat : nudo ſtat vertice iniquum
Ferre Iouem, nudumque pedem obiectare cruentis
Cautibus, & ſcopulis, & amantibus ardua dumis.
Quis tibi tunc Loiola (ſine hoc me ferre ſub auras)
Quis fuit ille dies? rutilo cùm nudus amictu
Aſpiceres decus omne procul, martiſque triumphos,
Deſertamque annis iam pubeſcentibus aulam,
Et nuſquam famulare caput, nuſquam arma, tubaſq;
Belligeraſque acies : equidem reor, optime ductor
Illa dies tibi prima fuit, qua gaudia cœlo
Ducere, & æthereos cæpiſti haurire liquores.
Scilicet hac vna vitam pro luce paciſci
Promptus eras ; nec vana fides : nam mille dierum
Inſtar habet. Sed longa mora eſt exire parato.
Iam Tarteſſiaco feſſos in gurgite currus
Abdiderat Titan, mundoque infuſa ſilenti
Grata laboriferis aduexerat otia curis
Opportuna duci nox, & ſublimibus auſis.
Cùm nouus inque rudi non agnoſcendus amictu
Loiolides, placidi fretus caligine cæli
Carpit iter, noctemque ſuam, laudeſque canendas
Præmeditans, magnæ Diuûm aſſurgentia *Matri*
Tecta ſubit tacitè. Quales ad templa precatus
Ediderit, quantis pulſauerit ardua votis
Sidera



Sidera; nam nosti,(si non indebita posco)
Suggere Diua mihi. Vix limina prima subibat,
Cum mixtus lacrymis caluit dolor, ignea mentem
Vis, horrorque sacer subitò rapit; omnia terrent
Relligioque loci, Diuæque potentis imago,
Et scelerum ingestæ species, simulacraque belli
Sanguineis infesta notis. hinc corde gelato
Exanguis trepidusque silet, sensimque caducis
Gressibus adreptans, ad amatæ VIRGINIS aras
Procumbit complexus humum, primumque stupenti
Persimilis, tandem precibus sic ora resoluit.
En ego cara Parens, (nomen mihi dulce parentis
Vsurpare sinas) fessus bellique viæque
Aduenio, votique reus; non qualis Ibera
Gente furens nuper. Dimisi cuncta, clientem
Agnoscis MARIA tuum? scelerum anne priorum
Fortè memor, nostros procul auersare vocatus?
Non sum, qui fueram, mutatos aspice cultus:
Purpurea tragicos posui cum veste furores,
Arma, tubas, equites, ferrumque, & vulnera, & iras
Cædis inexhaustæ. cessit de pectore Mauors
Impius. In nostra gladiusque & pugio dextra
Fulget adhuc, sed pacis amans, sed mitis vterque.
Ne dubita: hoc vnum Loiola è milite restat
Nec patiar restare diu; modò ponimus arma,
Ista tholis affigo tuis. Sciat, hoc sciat ætas
Postera, me templo Martis monumenta relicti
Desacrasse tuo: nec inanis gloria facti
Me trahit, aut longæ ventura in sæcula famæ
Ardor habet; pridem insanos compressimus æstus.
Exemplis verum opto meis quandoque nepotes
Fortunam exuere; & spoliis solioque superbos

His

His sceptra, & fractos defigere postibus enses,
Subque tuis, VIRGO, pacatos viuere signis.
Hæc mea mens, hæc signa placent; si serus ad ista
Transeo, da veniam bellatrix optima, belli
Hæc species ignota prius, legesque fuerunt,
Castigabo moras, vbi nunc furiale reliqui
Martis opus, sæuasque acies, campumque cruentum.
Tu mihi dux, tu præses eris, procul improba Pallas
Cedat, & immani Mauors metuendus in hasta.
Ordiar arma nouus duce Te pugil; vnde tremiscat
Tartarus, & raptas reuomat styx impia prædas.
Prima mihi mecum certamina, vincere memet
Iam discam, neque pugna leuis: non aëra palmis
Hic vacuis feriam, telum nec inutile stringam,
Nec sine vi; totos descendet vulnus in armos.
Hæc noua lex pugnæ, proprio stat sanguine palma.
Sic decuit bellasse prius, male tincta cruore
Hostili nunc tela queror. Vah! tædet opacæ
Noctis, & absumpti pereuntûm in sanguine ferri.
Ah! Virgo miserere rei, Tu Virginis ingens
Christe decus, miserere animæ commissa gementis
Quæ belli sub nube latent, vel flore iuuentæ
Gesta, sinu tegit aula suo. Detestor amores
Munde tuos; Tu noster amor, tu sacra voluptas,
Tu mihi bellorum requies MARIA, pauenti
Vnica pax animo; soli tibi namque potestas
Numinis irati trifidis occurrere telis
Impunè, & media quamuis in cæde flagrantes
Exarmare manus, fulmenque auellere dextra.
Talis anhelanti, & lacrymis tua templa riganti
Talis ades nunc VIRGO mihi, natumque pudendis
Eheu! criminibus æsum (potes omnia) rursum
Conciliare

Conciliare para, tristesque extinguere noxas.
Hic labor, hæc cura est: solú hoc, *Virgo* optima solum
Obtestor, non ante tuis diuellar ab aris
Quàm fruar optatis. Tales in vota venimus.
Et mihi nescio quid faustum nox ista meorum
Primitijs operum spondet *a* nox aurea, sacris
Nobilitata tuis, quando, admirabile dictu
Ipse *Deus*, *Deus* ipse tua se clausit in aluo,
Postmodò monstrandus terris, miserisque benigam
Præstaturus opem mortalibus: eia age noctis
Huius ego meminisse queam, nec lucis egenas
Esse sciam has tenebras, infecundasque bonorum.
Si votis, regina, meis precibusque vocata
Annueris, Tibi ego hanc animam, pectusque, manusq;
Deuoueo: Loiola tuus, tuus inclyta *Virgo*
Semper ero, quocumque voces age, quidquid in ipso
Sanguine erit, vestro iam desudabit honori.
Hoc vitæ quodcumque super, spirabit amores
CHRISTE tuos, MARIA tuos. Sic plura parantem
Dicere Loiolidem, lacrymisque infusa trahentem
Ora, grauesque oculos, consumpta nocte, serenis
Sol afflauit equis; stupet ille cadentibus astris
Alta repercusso rubuisse cacumina Phœbo,
Auroramque timet, demonstrarique veretur
Teste die: quare nocturno lassa rogatu
Membra leuat, multo possessus numine pectus,
Hinc inuitus abit, festinæ exordia lucis
Dequestus, noctemque breuem. Tibi mille salutes
Digrediens dixit, grates tibi mille MARIA.
Non secus ac niuei captus dulcedine lactis

Pusio

a Orabat Ignatius in monte Serrato, ipse peruigilio Annunciationis B. Virginis.

Pusio, cui trepidæ vires, & ab vbere robur
Pendet adhuc, cui sola quies cum matre morari,
Miscere & teneris verba inserpentia labris,
Materno si fortè sinu diuellitur, ille
Ingemit, & resonas implet vagitibus ædes,
Et matrem, matrem ingeminans, solatia somni
Abnuit, & dulces plorans auertitur escas.
Sic mœstum illacrymans, caræ delubra parentis
Deserit *a* Ogniades, iterumque iterumq; retorquens
Humentes ad templa oculos, per deuia rura
Tendit iter, MARIAM animo, MARIAM ore frequẽtans,
Lamentis nunc arua mouet, nunc flumina questu,
Nunc iuga, nunc valles, vacuasq; interrogat auras.
  Diua recedentem, gressuque habituque nouato
Loiolam (nam fræna animo laxanda calenti)
Prosequitur gaudens, atque ignibus implet honestis.
Ille sibi indulgens, rectique cupidine plenus
Progreditur, mora nulla. Sacer bene cuncta gubernat
Impetus. Optatam tandem secessibus vrbem
Attigit, & vanos vulgi auersatus honores
In *Manresanâ* tacitus se condidit vmbra.
Pallentesque domos, tugurique ignobile culmen
Porticibus regum, & radianti prætulit aulæ.
  Hîc illi spelunca domus, torus algida saxa,
Gramineumue solum, lacrymæ sunt pocula, puro
Vel raptus de fonte latex, seges arida, victus;
Esuriesque frequens, precibus transmittere noctes,
Et laceras crebris humeros proscindere flagris
Deliciæ, tormenta quies. Hæc aspera vitæ
Semita, sed magnis heroibus antè subacta.

B Hanc

a Ogniades id est Ignatius, vnde & alibi Ognesius, à dominio Ognes sic dictus.

Hanc calcare viam, præcedentûmque tueri
Signa virûm, & vastos gressu exæquare gigantes,
Obicibus nullis fractus, dux Cantaber ardet.
I propera IGNATI, quo te insatiatus eundi
Ardor agit, fruere Igne tuo, spatiare per auras
Indocilis terrena pati, gelidumque per orbem
Sparge faces, quocumque volas. Te nomen ab Igni
Sortitum experiar, nostrum, inter cætera pectus
Vre precor, flammaque poli meliore flagrantem
Eripe me terris, & habenti nubila mundo,
Conciliisque infer diuorum, aduectaque cælo
Sit mihi fas arcana loqui, populoque stupenti
Pandere, quid de Te magnus meditetur olympus.
Liuor abi, plebeia super nunc agmina longè
Vectus, olorinis tollor super æthera pennis
Ignauam pertæsus humum; iam littora Mosæ
Stant procul, & nostros tenuis fugis Hoiole visus,
a Hoiole, honos patriæ *b Condrusorumq;* meorum
Hoiole perpetuæ largitor corniger vndæ.
Iam quoque *c Sarta* latet, longoque per aera tractu
Vitiferi Montes, celsæque in montibus arces
Cessere ex oculis: alios referantur in orbes
Lumina, & immensus rerum mihi nascitur ordo.
Stat super æthereos sublimis regia colles
Cæruleo suspensa tholo, quam mille coruscæ
Insignire faces gaudent. Vbi nulla serenos

Inqui-

a Hoiolus fluuius ortus in Condrusio vrbem Huensem perlabitur, & inde in Mosam euoluitur.

b Condrusi, populi sunt inter Eburones seu Leodienses Mosæ fluuio, & siluæ Arduennæ finitimi qui etiamnũ suum nomen retinent, quorum vrbs præcipua est Huum, ab Antonino Pio vt quidam volunt, conditum, & olim Benefacta appellatum.

c Sarta, Mons est iuxta Huum, sacello B. Virginis celebris.

Inquinat vmbra lares : vbi nulla licentia ventis,
Nec niuibus concessa via est; quo turbida nunquam
Nubila,nec tristes aspirauere procellæ,
Sed placidi florent æterna pace penates.
Hic opifex rerum latè spectabilis aureo
Innixus solio (quem circum examine pulchro
Aligerum studiosa cohors stipatque colitque)
Inconniuus agit, curasque intentus in omnes
Quà patet,immensum circumspicit arduus orbem.
Hic igitur rutilæ medijs è sedibus aulæ
Prosilijt flammata *Themis*, telumque trisulcum
Corripiens, tali compellat voce Tonantem.
Vndarum terræque parens æthræque micantis
O genitor, quonam vsque sines impunè,per omne
Ire nefas mortale genus ? viden' effera ruptis
Impietas victrix passim aurigatur habenis,
Nulla fides terris, perijt ius fasque bonumque,
Non erebi legumque timor: sua cuique cupido
Fit Deus, insanas propiùs Pater aspice gentes,
Omne latus mundi scelus occupat: inde triumphos
Mollitie fractus, cum semiuiro comitatu
Bacchus agit; Venus inde suis animosa trophæis
Pene sibi totum sine sanguine vindicat orbem,
Infandasque docet leges, & crimina,quæ sit
Vel vidisse nefas. totas malus ambitus aulas
Iræque,insidiæque tenent,atque ægra secundis
Inuidia, alternæque neces, odia aspera vbique
Et furor,& cunctis sæuit discordia regnis.
Illa tui quondam custos fidissima cultus,
Illa ducum regumque parens *Europa* , malignis
dissidijs (furiale malum!) bellisque reuulsa
Parte sui meliore labat. Iam Rhenus, & Ister

Edidicit mutare fidem; bacchatur ab Arcto
Monstrum immane, atrox, Lernæa dirius hydra
Hæresis, è Sanctis sceleratus transfuga castris
Hanc peperit fouitque sinu *a Lutherus*, auerno
Iam dignus, posito cùm decertare cucullo
Cœpit, & impurâ sacra frangere pulpita voce.
Principijs obstare opus est, ipsoque litandum
Prodigio, ne fœda lues grassetur in artus,
Serius & sparsam doleat per viscera pestem
Dum bibit occultè gliscens Germània virus.
Cetera quid memorem conuulsi vulnera mundi
Nota tibi? quidnam Libyæque Asiæque pudendas
Cælicolis aras? quid crimina prisca retexam?
Ecce nouos orbi (semper vitiosius æuum est)
Inuexit gens atra Deos, templisque locauit
Monstriferos Erebi partus, & nomina monstris
Indidit, eôas (probrum!) inclamata per oras.
Horret ad hæc Tigris tumidarum vector aquarum,
Horret & Euphrates, cupiatque furentibus vndis
Obruere indigenas, raptosque inuoluere ponto.
Sed Tu claustra tenes. Si tot commissa nocentûm
Mitis adhuc lentusque vides, neque tangere dictis;
Occiduas speculare plagas; prô! quantus in illis
Horror, & offusæ quanta caligine noctis
Gens hebet, oblatam felici tramite lucem
Respuit; hinc vitijs lata est via: Nulla pudoris
Cura super, scelera æternis celanda tenebris
Sunt medio patrata die. Iam numina vulgus
Nulla colit, quia nulla timet. Brasilûm impia plebes
Dira

a Martinus Lutherus, religionis ac fidei desertor, cœpit rebellare, ac hæresim disseminare an. 1520. & sequenti quo Ignatius est læsus, & conuersus.

Dira Thyesteæ reuehunt conuiuia mensæ,
Et consanguinea saturi dape, vina paternis
Excipiunt iugulis, seseque cruoribus implent,
Infandum! Nec fræna retro sol turbidus egit?
Erubuitque nefas? quænam hæc insania? Non hos,
Non illos Sodomæ bustum; non vasta Gomorrhæ
Excidia, & subito raptus telluris hiatu
Cum grege fædifrago, cælis exosus Abiron
Territat, aut vndis Erythræi gurgitis haustus
Dux Pharao. Quid plura sequar? Iam noxius orbis
Debuit eluuiem dudum sensisse secundam.

Ergo agedum furias abolere, & sæcula retro
Emendare iuuet quid? Tu Iustissime Iudex
Aspicis hæc? Nec adhuc toto æthere fulmen adactum
Exilijt? si nunc tonitrus, & fulmina cessant,
Quando tonas, trifidasque faces cui denique seruas?
Si tibi tarda manus, sine me: da tollere fluctu
Exitiale genus, rapido da perdere telo
Quod teneo, gestitque meis exire lacertis.
Ni facis, accipiet malesana licentia vires,
Ac ruet in peius (nocet indulgentia sonti)
Mugitusque poli, vel quos non senserit ignes
Improbitas secura malis ridebit in ipsis
Contemptrix superûm: Nosti, sator optime, nosti,
Pronius in facinus, vindex vbi mitior, itur.

Hæc Themis. At contra placido *Clementia* vultu
Orsa loqui. Nimiùm accensæ ne crede Sorori
Summe parens; habet illa quidem, non abnuo, dignas
Irarum causas, tamen hæc flagrantia tela
Sunt leni moderanda manu: si cuncta repentè
Fulmineis plectenda forent delicta sagittis,
Iam tua consumptis torperet dextera telis,

In pœnas angusta forent nunc tartara: Certè
Si scelerum vindicta placet, dedit hactenus orbis
Vel pelago mersus, vel flamma vindice, pœnas,
Et dabit, haud dubiũ est. tibi sunt Phlegethontia sta-
Infernique lacus, variæque sine ordine mortes, (gna
Hic infelices animæ miseranda daturæ
Supplicia, æternum, heu! quæ sontibus vltio maior
Poscitur? ah! satis est: atque vt modo fulmina cessent
Impietas sibi pœna sua est. Ergo ignea longè
Excute tela manu, genitor mitissime, quod si
Nil flecto, quia sola precor; mecum inclyta mecum
Mater adest, propriam non aspernabere Matrem,
Te penes illa potens, illi indulgere benignè
Cuncta soles; meritò, meq; (hoc expromere iustũ est)
Et partes amat illa meas. huic lampada trado.
Haud mora; siderei Virgo regina senatus,
Ante pedes, soliumque Dei, cum supplice turba
Adstitit, & leni, diducens vbera dextra
Aggressa est tali prolem mollire precatu.
Nate, meus sanguis, genitrix tua, deprecor vnum,
Huc mites aduerte oculos, ignesque coruscos
Sepositos trantisper habe, dum paucula Mundi
Pro causa titubante loquar. Tu cuncta sagaci
Tempora mente tenes, voluendaque sæcula nosti
Iam propè tercentum dimensis orbibus annos
Enumero, dum causa eadem, Te Iudice, venit
Consilijs agitanda tuis tribus impia tellus
Criminibus damnata, tui sub fulminis ictu
Heu! stabat, iam iamque manus tua, tela vibrabat.
Tunc tua rursus Ego supplex subsellia adiui,
Funestasque faces, dextramque ferire volentem
Continui, geminosque Vades (quorũ alter *Iberus*, a

a S. Dominicus, natione Hispanus. *Vmber*

b *Vmber* & alter erat) mundo qui penè labanti
Consulerent, prompta exhibui: tum protinus omnis
Ardor, & emotæ deferbuit impetus iræ.
Ah! sine, te nostra quoque nunc mitescere voce,
Clementis Tu nomen habes, tua nomina cerne,
Et generis miserescе tui. Visne vbera nudem
Ostentata tibi toties? huc lumina flecte,
Maternos en pando sinus, hoc abdere pectus
Pectore suetus eras; requies dulcissima quondam
Hic tibi. an excidimus? per, ego, hoc te nate (quid
Obtestor, pectusque tuũ, lacrymabile mundi (hæres?)
Exitium placidus cohibe. Quid? fortè reposcis
Magnanimos, velut antè, vades, qui fulmina contra
Atque indignantis furias luctentur olympi?
Iam dabo, nec longis opus hic ambagibus: heros
Vnus adest, instar multorum; IGNATIVS ille est.
Hic Pompeiopolis nimiùm dum strenuus arces
Defensare parat, felici saucius ictu
Corruit, atque animos ex ipso vulnere sumpsit.
Altior è casu, iam dudum ingentia vitæ
Cœpta animo versat: Tibi non ignota recludo,
Sed memorare iuuat. Nuper templa ardua visit
Serrato composta iugo, gladiumque micantem
Grande aliquid spirans nostras suspendit ad aras,
Duxit & insomnem, testantur sidera, noctem
Multa gemens, superosque orans. Quid cetera Nate
Persequar? hic certè nostros lucratus amores
Nunc Manresana clausus se continet vmbra.
At quantò magis imperium martemque perosus
Conspectũ laudemque fugit, tanto amplius æquũ est
Nos illi æternum famæ, certamine læto

b S. Franciscus Assisij in Vmbriâ natus.

Conciliare decus: neque, si ventura dedisti
Prospectare procul, rerumque arcana tueri,
Me fallet Loiola meus, neque degener vnquam
Desinet in cœpta longum sudare palæstra.
Quare age pacato mortalia respice vultu,
Vltricesque remitte minas, modò, Nate, Parentem
Exaudi, si iusta precor; si turbine tanto
Qui valeat tandem rebus succurere lapsis
Inueni, dilecte, Virum. Sic fata, supremi
Iudicis inflexit mentem, penitusque morantem
Impulit, vt flammas alios differret in vsus.
Tantum materni potuit reuerentia vultus.
Mitior hinc Iudex solio sic orsus ab alto;
Vicisti regina parens, tibi vincere pulchrum est,
Nec mihi turpe fuit vinci: scis, lentus in arma
Vindictamque feror; nunquam mea dextera fulmen
Arriperet, ni prima suis humana propago
Sæpius horrendis incesseret æthera probris:
Inque suum excidium grauidis è nubibus ignes
Eliceret. Sed vota moror, cuncta ordine pandam.
Quem mihi nunc genitrix mundi tutela ruentis
Proponis submissa, volens admitto, proboque.
Hic vir, hic est, tibi quem venturi præscius æui
Venturum auxilio dixi, non deside cura
Qui titulos laudesque meas, trans littora Gangis,
Trans Arcton, Boreamq; vehat, trans arua nigrantis
Mempheos, & refugo populos sub sole latentes.
Huic ego, ne solus cœptis tam grandibus impar
Succumbat, sterilisue noua sine prole laboret,
Huic ego præclaros armis, & viuida rebus
Pectora submittam, valido qui fædere nexi
Fraternas referant acies, quique agmine iuncto
Vnanimes

Vnanimes in bella ruant, ſpoliiſque decori
Clara triumphato reuehant Acheronte trophæa.
Hæc vbi ſupremæ ſedit ſententia menti,
Protinus obſcuri latitantem in limite mundi
Imperat acciri Loiolam, operumque miniſtro
Aligero deſignat iter: volat ille per auras
Læta Dei mandata ferens, & fulminis alis
Ocyor, optatis Manreſæ allabitur oris.
Fortè ſub occidui tranquilla crepuſcula Phœbi
Cernuus ante aras, templi interiore receſſu
Loiola, exactæ commiſſa piacula vitæ
Deplangens, crebris feriebat pectora pugnis,
Roranteſque oculos vdâ tellure tenebat.
Talibus incenſo ſtudiis, lacrymiſque madenti
a Beltramidæ, tenui circumfluus Aliger vmbra
Improuiſus adeſt, & inaſpectabilis, implet
Afflatu propiore Dei: ſtupet inſcius alta
Mente Pater, lucemque nouam, ſtimuloſq; recentes.
Inde ſoporifera mulcens caua tempora virga
Luminaque, & feſſos longa prece leniter artus
Occupat, ac dulci perfundit pectora rore.
Intempeſtiuo contra hic ſuccumbere ſomno
Detrectat, vigileſque oculos, velut hoſte propinquo
Stare iubet, ſegneſque vocat, qui tempora noctis
Præueniant; ſed enim incaſſum; concedere tandem
Cogitur, ac luctata diu vigilantia languet,
Tantus in attonitum cecidit ſopor: vnde repente
Linquitur, atque graui deuinctus membra quiete
Tundit humũ, exanimem credas: iacet ille ſtupendus
Manreſæ, cæloque diu. Dum nube ſopora

B 5 Corpus

a Beltramides id eſt Ignatius, quia filius Beltrami, qui fuit Loiolæ Dominus, vnde Ignatius Loiola, & Loiolides &c.

Corpus hebet, ceu pondus iners, & lucis inane
Interea (ostentum!) mortali è puluere rapta
Purior, & nostri posita caligine mundi
Ignea mens, cernit rutilantia cominus ora
Alitis, exultat visu trepidatque; sed ille
Solue, inquit, Loiola metus: Tibi lapsus ab astris
Aduenio felix, vacuâ nec imagine somni
Luderis, euectus mecum pernicibus alis
Æthereas animo iam nunc penetrabis in arces.
Fas tibi magnarum lustrare sacraria rerum,
Progeniemque tuam, & venientum discere vitas.
Dixit, & extemplò vastum per inane recurrens
Ventorum niuiumque domos transgressus, amicam
Loiolæ mentem plaudentibus intulit astris.
Sic quoque magnanimum (Tarsus cui patria) vatem
Numinis imperio quondam, irrupisse Piorum
Concilia, & cælo mentem insertasse volenti,
Arcanasque hausisse notas, seriemque futuri
Temporis, & toti vulganda oracula Mundo,
Fama vetus, sed vera refert. Nos debile vulgus,
Nos humiles animæ (quamquam cælestis origo)
Ardua molimur, lenta dum mole grauati
Sidereum tentamus iter: conatibus istis
Da veniam supreme Parens; non impete cæco
Huc rapior, sed clara virum vestigia, doctus
Loiolâ præeunte sequor: Tua gloria *Christe*
Me quoque tollit humo, superasque inuadere sedes
Cogit, & vnius fastos euoluere secli.
Ergo vbi Loiolides pennis felicibus actus
Aligero vallante latus, fastigia cæli
Attigit, atque hilaris rutila agmina circumspexit,
Fulgentem solio *Christum*, circumque canoros
Ex-

Excelsorum operum artifices, latèque verendos
Heroum cuneos, maiestatemque serenam
Virginis, & lectis completa sedilia turmis,
Miratus faciemque loci, Dominique locorum
Pronus adoratum subitò ruit antè tribunal.
Tum sic Loiolam, summi Patris aurea proles
Ore renidenti, & verbis affatur amicis.
Rem summam instinctuque meo, nutuque parentis
Te duce (sume mares animos, & pectus obarma)
IGNATI, sancire paro: Ne nostra recuses
Imperia, & meritum tibi quem largimur, honorem
Ne trepida, tibi nunc ventura, atq; omne quod vltra
Pandere lætus eo: Non est tibi, care Loiola, (est
Obscurum, quantas nostro fundata paratu
Relligio subeat, cælo miserante, procellas.
Hanc modò sacrilegi fœdè dominantibus armis
Expugnare duces tentant, quos rector Auerni
Immortale odium spirans incendit, & orbe
Vi potitur, nostrisque ferox signa æmula signis
Obijcit, & largis animas sudoribus emptas
Raptat hians, soliumque mea sibi destinat aula.
Non ita: me iustusque dolor, vindexque potestas
Vlterius tolerare vetant tot monstra nefandæ
Stirpis, & abruptis volitantia crimina frænis.
Hinc ego iam dudum meritas effusus in iras
Commoti reserans armamentaria cæli
Orbis in exscidium, nimbosque hyemesque parabam
Fulguraque, & tonitrus, pelagoque licentius ire
Iam dederam; sed mota Parens instante ruina,
Procidit ad nostrum vultu acclinata tribunal
Virgineos nudata sinus, (hæc illius arma)
Teque vadem ostentans, & nupera facta recensens

Sustulit è nostra iam tela sonantia dextra.
Parco equidem immeritis: ægris tamen vltima rebus
Nunc adhibenda manus; superest spes vna salutis:
Atque vt deposito ferat hæc solamina mundo,
Est animus tumidis fidentem Acheronta maniplis
Proterere, & diras bellando exscindere pestes.
Hoc in opus deposco virum, qui pectore firmo
Ausit Auernales contra certare cateruas,
Et dites auidi prædas ex faucibus orci
Eripere, & nostro assertas transmittere cælo.
Tu mihi præ reliquis, Loiola, potissimus vnus
Lectus es exorsis ingentibus: eia age totos
Insanæ strepitus aulæ, bellique perosus,
Militiam exordire novam; cursuque secundo
Egregiam mox coge aciem, cui nomen IESV
Impones, seros quod perstet ad vsque nepotes.
Ne desponde animum, quo te arma tubęq; vocabunt
Dux ego præibo; sed Tu (modò fortiter aude)
Ab duce primus eris. Nostro moderamina nutu
Summa tene, legesque nouas præceptaque belli
Militibus conscribe tuis; sed ne anxius erres,
Quæ seruanda, loquar; memori nunc mente repone.
Principio cunctis fixus, cunctisque petendus
Finis erit, *bellare mihi*: mea gloria quemque
Exacuat, residesque manus hortetur ad arma,
Inque globum hostilem strictosq; propellat in enses.
Quisque meas laudes per noctem, & luce sub omni
Digerat, has totis velit inclarescere regnis.
Præterea geminæ stimulent tua pectora curæ,
Ingens cura tui primùm, dêin cura tuorum,
Perque nouos ausus, animarum immensa cupido.
Has

Has vt tartarea reuoces de valle, laborum
Nulla tibi facies horrenda, inopinaue surgat,
Obijciatue moras. Cælestia signa sequenti
Non mollis calcanda rosa est; vocat ardua virtus
Per salebras, per saxa: frequens gradiere per imbres
Fulminibus mixtos, intempestasque tenebras,
Lethiferasque domos, inopumque ergastula dura.
Esuriemque sitimque pati, solemque niuemque
Militis est; nec ad ista rudis procedis, & ardor
Hæc domat, & claris virtus pensanda trophæis,
Et populi pereuntis amor. Calcaribus istis
Excitus, vnam animam (grauis est res ponderis) vnam
Quò serues, mille ora sagax, mille indue formas,
Omnibus vt prosis, te te omnibus omnia finge;
Cum custode gregis, gnauo cum milite, gnauus
Nunc Pastor, nunc miles eris, nunc æquoris alti
Non lustrator iners, nec vili merce beandus
Institor ; & multum de venatore tenebis,
Immanes per lustra feras cælestibus armis
Conficies, vel nostra alacris sub tecta reduces,
Subijciesque iugo, atque agrestia corda domabis.
At tua quò sese terris attollat, & ima
Despiciens, longè vulgus mortale relinquat
Relligio, geminas non segniter apparet alas
Has *Virtus* animosa dabit studioque paranda
Virtuti bene fida comes *Doctrina* : duabus
His ducibus, lethumque supra, inuidiamq; furentem
Ibit ouans, minimumque suæ telluris habebit.
Has tamen ad sedes non incomitata feretur,
Sed spolijs spectanda nouis, namque ordine longo
Densa cohors latere ex omni stipabit euntem,
Immixtique duces vulgo, senibusque puelli

Imbelles, pulchroque tener certamine sexus
Post Loiolæas flagrabit abire quadrigas.
At nos præ reliquis primos committimus annos,
Hæ tibi erunt artes, iuuenilia fingere corda.
Hinc mala ne teneras deprauent otia mentes,
Romulea illustres lingua reserare palæstras
Proderit, atque nouæ simulacra indicere pugnæ,
Et gerere occulto sine sanguine bella lycæo.
His pubes accincta vacet, vigiliqúe labore
Desidiam luxumque domet, victrixque malorum
Exigat innocuos studiis florentibus annos.
Sint quibus æthereos sub pectore sacra Poësis
Insigat stimulos, telisque potentibus ictos
Prouocet ad nostras, damnata Pallade, Musas.
Vatibus hic locus est. Sint quos facundia pleno
Ore, supra turbas ad rostra fauentia tollat,
Hic mea centenis præconia pandere linguis
Ad numerum delecta cohors tendatque, velitque
Vincere, & antiquas pro tempore fingat Athenas.
Hic a Stagiræi senis in penetralia raptus
Naturæ rimetur opus, rerumque latentes
Sedulus exquirat primas ab origine causas:
Mens pelago coeloque volet, curaque sagaci
Immensis varios motus deprendat in astris,
Artificemque suum toto miretur Olympo.
Hic nostræ Triadis, Monadisque arcana, profundâ
Mente introgressus, superi miracula mundi
Explicet, & cinctam sacrâ caligine lucem,
Ceu trepidus Moses, acie titubante laboret
Cernere; & acceptas populis euoluere leges
Non dubitet, vatumque minas, implexaque fata
Euulget,

a Aristotelis qui ex oppido Stagira natus.

Fuulget, teneatque meis sub legibus orbem
Attonitum, & nostræ metuentem fulmina dextræ.
Quin iuuet in veteres animum diffundere fastos,
Primaque cunctarum scrutari semina rerum.
Quæ facies primæua fuit, cùm surgeret orbis
E nihilo, tenebrasque suas natura paueret,
Quæ manus euoluit cæcum chaos? vnde repente
Aurea lux nitidumque iubar? quæ cura diremit
Molem indigestam, vacuique exordia mundi,
Et stabili cunctas connexuit ordine partes,
Discreuitque polos terris, cultuque decoro
Hoc quodcumque vides, & quod lustrare negatur,
Induit, & roseos astris afflauit honores.
Præterea à læso labentia sæcula pomo
Prodigiis fecunda suis tua posthuma proles
In numerum lucemque trahat: Quin sontis Adami
Excidium infelix, instauratamque salutem,
Deletumque nefas, reserataque limina coeli
Principe me, stratamque notis insignibus, omnem
Ostendat super astra viam: dumque æthera celsæ
Robore mentis adit, diuinos hauriat ignes,
Quos (sic poscit amor) gelido communicet orbi.
Hæc tentanda via est: magnæ sic mentis alumnos
Efficies, quos omnigenas dux ipse per artes
Ire dabis. Tamen hæc studia inter summa memento
Informare rudes animos, densasque per vrbes
Conglomerare acies puerorum, elementaque prima
Virtutum, fideique doce, sensimque tenellis
Mentibus inspira laudandæ semina flammæ.
Præcipuè trepidas scelerum formidine fibras
Assiduo sermone tene: iam nomina nostra
Condiscat, cæloque sciat regnare Tonantem,

Et

Et metuenda ſuis horreſcat tartara buſtis.
Talibus inuigila, caræ neque matris amores
Deſere, ſed totis MARIAM amplectere fibris.
Hîc impende animos, hic eſt laudabilis ardor,
Hîc mundi coniuret amor: neque ſolus honeſto
Igne flagra; verum teneræ lectiſſima pubis
Coge ſodalitia, & dilectæ ſacra Parenti
Caſtra foue, cunctos honor hic promanet in annos.
Parthenias iuuenum flos illibatus ad aras
Procumbat, roſeumque ſacris ſolemnibus æuum
Deuoueat, iuretque fidem, iurataque fortis
Impleat, & cineres ſuperet pia flamma, ſuoſque
Emoriens, alio ſub corde reſuſcitet ignes.
Hæc moneo curanda, decus ne ſperne iuuentæ,
Eſt dignus labor iſte viris: hinc meſſis opima
Surget, & ex illo floreſcet gloria campo.
Poſt tua, non tenues agitantia pectora curas
Sollicita pulſabo manu, maioraque dictis
Imperia edicam; lectos ex agmine toto,
Magniloquos heroas, & ignea verba faceſque
Vndique ſpirantes, vbi confertiſſima vulgi
Vis erit, & celebrem poſcet facundia pugnam,
In medias immitte acies: celſuſque pauentes
Per populos orator eat, qui more coruſci
Fulguris, aut rapidi torrentior impete nimbi
Vimque metumque vehat ſecum, qui crimina mundi
Erroresque feros hominum, qui dira nocentûm
Gaudia, qui luxus, inconceſſoſque hymenæos,
Orgia qui Bacchi, Veneris qui monſtra nefandæ
Affatu grauiore premat; ſtimuloſque ſubactis
Cordibus, (hæc cunctis optanda potentia) figat.

Hîc

Hic atuis, hic vrbe tonet, ſimul atra reuellant
Terrarum delicta, manus numquam irrita voti
Exeat, & certis penetret præcordia telis.
Hauriat hinc pia corda dolor, vultuſque per omnes
Mœror eat, lacrymæque ſuos in crimina fontes
Præcipitent, meritiſque ferant luſtramina noxis.
Mox humili feſtina gradu, gens ſaucia luctu,
Impatiens tolerare ſcelus, ſe ſpontè verendos
Iudicis ante pedes voluat, plangatque: nec atrum
Infandumque aliàs, & opaca nocte tegendum
Cunctetur proferre nefas, pulſoque pauore
Prodere funeſtas ſub hiulco pectore plagas.
Abſoluit dolor ipſe reos: nec turpe fateri
Quod fœdum patraſſe fuit. Fac cuncta profundo
Singultu delubra gemant, viruſque peroſæ
Denſatæ properent ad ſacra ſedilia turbæ,
Vim, furias, furta, arma, dolos, mala fœdera faſſæ.
Poſt dulces lacrymas, expurgatumque ſalubri
Fonte nefas, initumque nouo cum pignore fœdus
Cælicolum, pacemque meam, mox ordine pulchro
Conuiuas hilares, habituque animoque decoros
Luce ſacra iubeas epulis accumbere Diuûm,
Ac noſtras libare dapes, & nectare paſci,
Deliciaſque omnes, clauſumque ſub orbe niuali
Arcanis deferre modis in pectore numen.
Hæc cunctis panacæa malis: hæc duret in æuum
Relligio. Veniet, veniet generoſior ætas
Quam ſacer ardor aget, diuinæ munera menſæ
In ſteriles transferre locos, animaſque piandas
Ignibus, & noſtri ſopire incendia dono
Sanguinis: hæc largo fluet indulgentia fonte
In manes effuſa pios. Tu quidquid vbique eſt
Roboris,

Algentesque manus, eluctantemque supino
Ore animam. Tum mox & in ipsa morte pauendas
Insidias Erebi, formidandumque tribunal
Iudicis, extremo dum lis operosa paratur
Decidenda foro, miseros vbi flebilis vrget
Vrna reos, tonitrusque, & ineluctabile fulmen
Mortis inocciduæ: virtus quoque pallida nostram
Horrescit trutinam, & nunquam reuocabile verbum.
Tartareas posthæc horrendo tramite valles
Ostendes ollasque picis, fluuiosque rubentis
Sulphuris, & sæuis stagna exundantia flammis,
Immanesque rotas, atque incumbentia fractis
Saxa humeris, formasque truces, vlulantiaque imis
Vndique conspicies animarum examina claustris,
Terrificas proflare faces, diroque tumultu
Infernas complere domos. hîc fabula nulla est,
Hîc trepidet mortale genus, causasque malorum
Tantorum celer effugiat, noxa vnica sontes
Huc rapit, & stygiis æternùm adiudicat vmbris.
Postquam Erebi furias, infelicesque recessus
Ditis, & infaustos lustraueris ordine manes,
Ad superos molire viam, noctemque perosus
Tænaream, nostros discussa nube penates
Suspice, & astriferos metire licentius axes,
Et sceleri intactas sedes, semotaque regna
Terrarum nebulis, nullique obnoxia letho.
Hic thyasi, hic plausus, hic intemerata voluptas,
Hic cunei ingentes heroum, hic luce decora
Constaturus honos, & nunquam adimenda potestas.
Et nostrum amoto lumen speculabile velo,
Prouocet egregias in tela, & vulnera mentes,
Immortale decus quisquis sibi poscit olympi,

Calcet

Calcet iter rigidum, magnoque æterna parari
Nouerit Imperia, & supremæ præmia sortis.
Hæc primæ simulacra viæ: nunc maius ab ortu
Claret iter, totoque procul mala nubila cælo
Diffugiunt, cinctæque atra caligine pestes
Relliquiæ veteris vitæ, atque erronis Adami.
Aurea tum primum lætis mortalibus offert
Securas Aurora vias, æuique prioris
Facta patent; piget in tenebris, & nocte maligna
Ad chaos vmbriferum, possessaque sontibus arua
Præcipites egisse gradus. placet inclyta diuûm
Semita, vbi multam vestigia præuia lucem
Affundunt, monstrantque noui compendia cursus.
Hic volitare vides geminæ vexilla cateruæ
Dissimiles sortita duces. Hinc turbidus ira
Rex stygius, piceique minax ferrugine vultus
Fulminat, & sæuos rapit ad sua signa maniplos
Eumænidumque manus, socias cui commodat iras
Tetra cohors, æquanda duci, seu frangere olympum,
Seu dirum patrare nefas, orbemque ciere
Imperet, & fusis violare cruoribus arma.
At contrà placida stat maiestate serenus
Ductor ouans Solymas iuxta, quem candida stipant
Agmina, tartareas longè auersata cohortes.
Huc pietas, huc vrget amor ducis: Impia nempe
Tartara, & inferni perrumpere Principis arces
Quisq; flagrat, certantq; palã, quis primus in hostem
Tendat, & orcinas cum puluere proterat vmbras,
Calcatumque suo ductorem impingat auerno.
Has vbi composito digesseris ordine turmas,
Armaque, conatusque virûm, nostrique verendas
Imperij leges, & sancti fœdera regni:
Protinus

Sustulit è nostra iam tela sonantia dextra.
Parco equidem immeritis: ægris tamen vltima rebus
Nunc adhibenda manus; superest spes vna salutis:
Atque vt deposito ferat hæc solamina mundo,
Est animus tumidis fidentem Acheronta maniplis
Proterere, & diras bellando exscindere pestes.
Hoc in opus deposco virum, qui pectore firmo
Ausit Auernales contra certare cateruas,
Et dites auidi prædas ex faucibus orci
Eripere, & nostro assertas transmittere cælo.
Tu mihi præ reliquis, Loiola, potissimus vnus
Lectus es exorsis ingentibus: eia age totos
Insanæ strepitus aulæ, bellique perosus,
Militiam exordire novam; cursuque secundo
Egregiam mox coge aciem, cui nomen IESV
Impones, seros quod perstet ad vsque nepotes.
Ne desponde animum, quo te arma tubęq; vocabunt
Dux ego præibo; sed Tu (modò fortiter aude)
Ab duce primus eris. Nostro moderamina nutu
Summa tene, legesque nouas præceptaque belli
Militibus conscribe tuis; sed ne anxius erres,
Quæ seruanda, loquar; memori nunc mente repone.
Principio cunctis fixus, cunctisque petendus
Finis erit, *bellare mihi*: mea gloria quemque
Exacuat, residesque manus hortetur ad arma,
Inque globum hostilem strictosq; propellat in enses.
Quisque meas laudes per noctem, & luce sub omni
Digerat, has totis velit inclarescere regnis.
Præterea geminæ stimulent tua pectora curæ,
Ingens cura tui primùm, dêin cura tuorum,
Perque nouos ausus, animarum immensa cupido.
Has

Has vt tartarea reuoces de valle, laborum
Nulla tibi facies horrenda, inopinaue surgat,
Obijciatue moras. Cælestia signa sequenti
Non mollis calcanda rosa est; vocat ardua virtus
Per salebras, per saxa: frequens gradiere per imbres
Fulminibus mixtos, intempestasque tenebras,
Lethiferasque domos, inopumque ergastula dura.
Esuriemque sitimque pati, solemque niuemque
Militis est; nec ad ista rudis procedis, & ardor
Hæc domat, & claris virtus pensanda trophæis,
Et populi pereuntis amor. Calcaribus istis
Excitus, vnam animam (grauis est res ponderis) vnam
Quò serues, mille ora sagax, mille indue formas,
Omnibus vt prosis, te te omnibus omnia finge;
Cum custode gregis, gnauo cum milite, gnauus
Nunc Pastor, nunc miles eris, nunc æquoris alti
Non lustrator iners, nec vili merce beandus
Institor ; & multum de venatore tenebis,
Immanes per lustra feras cælestibus armis
Conficies, vel nostra alacris sub tecta reduces,
Subijciesque iugo, atque agrestia corda domabis.
At tua quò sese terris attollat, & ima
Despiciens, longè vulgus mortale relinquat
Relligio, geminas non segniter apparet alas
Has *Virtus* animosa dabit studioque paranda
Virtuti bene fida comes *Doctrina* : duabus
His ducibus, lethumque supra, inuidiamq; furentem
Ibit ouans, minimumque suæ telluris habebit.
Has tamen ad sedes non incomitata feretur,
Sed spolijs spectanda nouis, namque ordine longo
Densa cohors latere ex omni stipabit euntem,
Immixtique duces vulgo, senibusque puelli

Imbelles, pulchroque tener certamine sexus
Post Loiolæas flagrabit abire quadrigas.
At nos præ reliquis primos committimus annos,
Hæ tibi erunt artes, iuuenilia fingere corda.
Hinc mala ne teneras deprauent otia mentes,
Romulea illustres lingua reserare palæstras
Proderit, atque nouæ simulacra indicere pugnæ,
Et gerere occulto sine sanguine bella lycæo.
His pubes accincta vacet, vigilique labore
Desidiam luxumque domet, victrixque malorum
Exigat innocuos studiis florentibus annos.
Sint quibus æthereos sub pectore sacra Poësis
Insigat stimulos, telisque potentibus ictos
Prouocet ad nostras, damnata Pallade, Musas.
Vatibus hic locus est. Sint quos facundia pleno
Ore, supra turbas ad rostra fauentia tollat,
Hic mea centenis præconia pandere linguis
Ad numerum delecta cohors tendatque, velitque
Vincere, & antiquas pro tempore fingat Athenas.
Hic a Stagiræi senis in penetralia raptus
Naturæ rimetur opus, rerumque latentes
Sedulus exquirat primas ab origine causas:
Mens pelago coeloque volet, curaque sagaci
Immensis varios motus deprendat in astris,
Artificemque suum toto miretur Olympo.
Hic nostræ Triadis, Monadisque arcana, profundâ
Mente introgressus, superi miracula mundi
Explicet, & cinctam sacrâ caligine lucem,
Ceu trepidus Moses, acie titubante laboret
Cernere; & acceptas populis euoluere leges
Non dubitet, vatumque minas, implexaque fata
Euulget,

a Aristotelis qui ex oppido Stagira natus.

Fulget, teneatque meis sub legibus orbem
Attonitum, & nostræ metuentem fulmina dextræ.
Quin iuuet in veteres animum diffundere fastos,
Primaque cunctarum scrutari semina rerum.
Quæ facies primæua fuit, cùm surgeret orbis
E nihilo, tenebrasque suas natura pareret,
Quæ manus euoluit cæcum chaos? vnde repente
Aurea lux nitidumque iubar? quæ cura diremit
Molem indigestam, vacuique exordia mundi,
Et stabili cunctas connexuit ordine partes,
Discreuitque polos terris, cultuque decoro
Hoc quodcumque vides, & quod lustrare negatur,
Induit, & roseos astris afflauit honores.
Præterea à læso labentia sæcula pomo
Prodigiis fecunda suis tua posthuma proles
In numerum lucemque trahat: Quin sontis Adami
Excidium infelix, instauratamque salutem,
Deletumque nefas, reserataque limina coeli
Principe me, stratamque notis insignibus, omnem
Ostendat super astra viam: dumque æthera celsæ
Robore mentis adit, diuinos hauriat ignes,
Quos (sic poscit amor) gelido communicet orbi.
Hæc tentanda via est: magnæ sic mentis alumnos
Efficies, quos omnigenas dux ipse per artes
Ire dabis. Tamen hæc studia inter summa memento
Informare rudes animos, densasque per vrbes
Conglomerare acies puerorum, elementaque prima
Virtutum, fideique doce, sensimque tenellis
Mentibus inspira laudandæ semina flammæ.
Præcipuè trepidas scelerum formidine fibras
Assiduo sermone tene: iam nomina nostra
Condiscat, cæloque sciat regnare Tonantem,

Et

Et metuenda suis horrescat tartara bustis.
Talibus inuigila, caræ neque matris amores
Desere, sed totis MARIAM amplectere fibris.
Hîc impende animos, hic est laudabilis ardor,
Hîc mundi coniuret amor: neque solus honesto
Igne flagra; verum teneræ lectissima pubis
Coge sodalitia, & dilectæ sacra Parenti
Castra foue, cunctos honor hic promanet in annos.
Parthenias iuuenum flos illibatus ad aras
Procumbat, roseumque sacris solemnibus æuum
Deuoueat, iuretque fidem, iurataque fortis
Impleat, & cineres superet pia flamma, suosque
Emoriens, alio sub corde resuscitet ignes.
Hæc moneo curanda, decus ne sperne iuuentæ,
Est dignus labor iste viris: hinc messis opima
Surget, & ex illo florescet gloria campo.
Post tua, non tenues agitantia pectora curas
Sollicita pulsabo manu, maioraque dictis
Imperia edicam; lectos ex agmine toto,
Magniloquos heroas, & ignea verba facesque
Vndique spirantes, vbi confertissima vulgi
Vis erit, & celebrem poscet facundia pugnam,
In medias immitte acies: celsusque pauentes
Per populos orator eat, qui more corusci
Fulguris, aut rapidi torrentior impete nimbi
Vimque metumque vehat secum, qui crimina mundi
Erroresque feros hominum, qui dira nocentûm
Gaudia, qui luxus, inconcessosque hymenæos,
Orgia qui Bacchi, Veneris qui monstra nefandæ
Affatu grauiore premat; stimulosque subactis
Cordibus, (hæc cunctis optanda potentia) figat.

Hîc

Hic aruis, hic vrbe tonet, ſimul atra reuellant
Terrarum delicta, manus numquam irrita voti
Exeat, & certis penetret præcordia telis.
Hauriat hinc pia corda dolor, vultuſque per omnes
Mœror eat, lacrymæque ſuos in crimina fontes
Præcipitent, meritiſque ferant luſtramina noxis.
Mox humili feſtina gradu, gens ſaucia luctu,
Impatiens tolerare ſcelus, ſe ſpontè verendos
Iudicis ante pedes voluat, plangatque: nec atrum
Infandumque aliàs, & opaca nocte tegendum
Cunctetur proferre nefas, pulſoque pauore
Prodere funeſtas ſub hiulco pectore plagas.
Abſoluit dolor ipſe reos: nec turpe fateri
Quod fœdum patraſſe fuit. Fac cuncta profundo
Singultu delubra gemant, viruſque peroſæ
Denſatæ properent ad ſacra ſedilia turbæ,
Vim, furias, furta, arma, dolos, mala fœdera faſſæ.
Poſt dulces lacrymas, expurgatumque ſalubri
Fonte nefas, initumque nouo cum pignore fœdus
Cælicolum, pacemque meam, mox ordine pulchro
Conuiuas hilares, habituque animoque decoros
Luce ſacra iubeas epulis accumbere Diuûm,
Ac noſtras libare dapes, & nectare paſci,
Deliciaſque omnes, clauſumque ſub orbe niuali
Arcanis deferre modis in pectore numen.
Hæc cunctis panacæa malis: hæc duret in æuum
Relligio. Veniet, veniet generoſior ætas
Quam ſacer ardor aget, diuinæ munera menſæ
In ſteriles transferre locos, animaſque piandas
Ignibus, & noſtri ſopire incendia dono
Sanguinis: hæc largo fluet indulgentia fonte
In manes effuſa pios. Tu quidquid vbique eſt
Roboris,

Roboris, in nostros impende animosus honores.
Hos teneat vesanus amor, trahat ambitus illos,
Hos bella exstimulent, vel opum furiosa cupido;
Velificare meis Tu laudibus: omnia cultus
Incrementa mei, morumque examina gentis
Ingenio commendo tuæ, cui plurimus instat
Sudor, & incumbit mundi melioris origo.
Non vno labor iste loco, & tentamine pugnæ
Teque tuosque manent: sed nostro numine felix
Gens tua trans Tanaim perget, penitusque repostos
Auroræ populos, & claustra nouissima lucis
Occiduæ, Brasilosq; truces, Guineamq; Chilumque,
Et caligantes semoto sole Triones
Viset inardescens, nihil est quod amantibus obstet.
Cumque meas notum sub leges miserit orbem
Flagrabit maiore siti, gressuque calenti
In mundos volet ire nouos: sic pectora laudi
Nata meæ, semper voto vlteriore laborant.
Hac digesta tenus clara te prole beatum
Ductorem efficient, nostris & honoribus addent
Non vulgare decus; sed quæ memoranda supersunt
Æternam parient voluenda in sæcula laudem.
Quare age fecundum ne dedignare laborem,
Victuroque humiles operi submitte lacertos.
Tu quamquam bello, & tractandis doctior armis,
Quam calamo, scriptisque; tamen secessibus apta
Sortitus nemora, & rupes, [a] conscribe sub ista
Rupe aliquid, quod mox latebris erumpat, & omnis
Orbis amet, versetque manu, totisque recondat

Visce-

[a] Libellus exercitiorum spiritualium, diuino instinctu à Sancto Ignatio conscriptus, qui tres vias continet purgatiuam, illuminatiuam, vnitiuam.

Viſceribus, moreſque libro cenſore refingat.
Iſtud opus non mole ſua, ſed pondere rerum
Conſpicuum (tibi clara operis compendia tradam)
In ternas partire vias. *Via prima* ſalutis
Authorem ſpectare ſuum, finemque ſagaci
Indagare oculo, quo tenditur: inde futuris
Conſulere, & grandes occulto pectore curas
Digerere, & certis componere legibus æuum.
 Ac primum, crebro vitæ commiſſa prioris
Singultu plangenda doce, radendaque ad imum
Imbribus aſſiduis veteris contagia culpæ,
Dum ſuus artifici placeat nitor, & noua mentis
Forma redux; nec finis ibi, niſi limite duro
Flebilis indecores Metanæa reſarciat auſus.
Non igitur ſæuis circum thoraca rigentem
Crinibus, aut tortos nodoſo verbere funes
Horreat, aut tenues factura cubilia ſomnos,
Nobilis in noſtra tiro tentandus arena.
Quin genium fraudare epulis, & parcere vino,
Fonte leuare æſtus, atque inter pocula diſcat
Exercere ſitim. Vario ſic blanda labore
Caſtiganda cutis; ſunt hæc primordia magnis
Digna animis, hinc læta fluent certamina; læſum
Sic numen placare decet. Scelus omne piare
Hac mercede iuuet: verùm ne in limine primo
Præteritos reuocet maleſuada licentia mores,
Et cœptum diſturbet iter; mox lege ſeuera
Humanæ obiicies metuenda nouiſſima turbæ.
Ante fores primùm lethi miſerabilis atram
Effigiem ſtatues, lethoque accumbere ſuetum
Concilium infelix, luctus, lacrymaſque, metuſque,
Exangueſque genas, & abactos luminis orbes,

Algen-

Algentesque manus, eluctantemque supino
Ore animam. Tum mox & in ipsa morte pauendas
Insidias Erebi, formidandumque tribunal
Iudicis, extremo dum lis operosa paratur
Decidenda foro, miseros vbi flebilis vrget
Vrna reos, tonitrusque, & ineluctabile fulmen
Mortis inocciduæ: virtus quoque pallida nostram
Horrescit trutinam, & nunquam reuocabile verbum.
Tartareas posthæc horrendo tramite valles
Ostendes ollasque picis, fluuiosque rubentis
Sulphuris, & sæuis stagna exundantia flammis,
Immanesque rotas, atque incumbentia fractis
Saxa humeris, formasque truces, vlulantiaque imis
Vndique conspicies animarum examina claustris,
Terrificas proflare faces, diroque tumultu
Infernas complere domos. hîc fabula nulla est,
Hîc trepidet mortale genus, causasque malorum
Tantorum celer effugiat, noxa vnica sontes
Huc rapit, & stygiis æternùm adiudicat vmbris.
Postquam Erebi furias, infelicesque recessus
Ditis, & infaustos lustraueris ordine manes,
Ad superos molire viam, noctemque perosus
Tænaream, nostros discussa nube penates
Suspice, & astriferos metire licentius axes,
Et sceleri intactas sedes, semotaque regna
Terrarum nebulis, nullique obnoxia letho.
Hic thyasi, hic plausus, hic intemerata voluptas,
Hic cunei ingentes heroum, hic luce decora
Constaturus honos, & nunquam adimenda potestas.
Et nostrum amoto lumen speculabile velo,
Prouocet egregias in tela, & vulnera mentes,
Immortale decus quisquis sibi poscit olympi,

Calcet

Calcet iter rigidum, magnoque æterna parari
Nouerit Imperia, & supremæ præmia sortis.
Hæc primæ simulacra viæ: nunc maius ab ortu
Claret iter, totoque procul mala nubila cælo
Diffugiunt, cinctæque atra caligine pestes
Relliquiæ veteris vitæ, atque erronis Adami.
Aurea tum primum lætis mortalibus offert
Securas Aurora vias, æuique prioris
Facta patent; piget in tenebris, & nocte maligna
Ad chaos vmbriferum, possessaque sontibus arua
Præcipites egisse gradus. placet inclyta diuûm
Semita, vbi multam vestigia præuia lucem
Affundunt, monstrantque noui compendia cursus.
Hic volitare vides geminæ vexilla cateruæ
Dissimiles sortita duces. Hinc turbidus ira
Rex stygius, piceique minax ferrugine vultus
Fulminat, & sæuos rapit ad sua signa maniplos
Eumænidumque manus, socias cui commodat iras
Tetra cohors, æquanda duci, seu frangere olympum,
Seu dirum patrare nefas, orbemque ciere
Imperet, & fusis violare cruoribus arma.
At contrà placida stat maiestate serenus
Ductor ouans Solymas iuxta, quem candida stipant
Agmina, tartareas longè auersata cohortes.
Huc pietas, huc vrget amor ducis: Impia nempe
Tartara, & inferni perrumpere Principis arces
Quisq; flagrat, certantq; palā, quis primus in hostem
Tendat, & orcinas cum puluere proterat vmbras,
Calcatumque suo ductorem impingat auerno.
Has vbi composito digesseris ordine turmas,
Armaque, conatusque virûm, nostrique verendas
Imperij leges, & sancti fœdera regni:

Protinus

Protinus Ætherei Patris celestia dona
Aggredere, & nostrum per sex quinquennia, & vltra
Obtectum (Magnum hoc & inenarrabile munus)
Humanâ sub veste iubar. dicsidere dextro
Virgineos partus, primæque exordia famæ;
Post superûm plausus, pastoralesque camænas,
Et properata meis agrestia munera cunis,
Qualiter Assyrij proceres, telluris Eoæ
Gloria, diuinis quondam feruoribus icti
Lucifero monstrante viam, Solymæa per arua
Bethlemias juxta turres, sub rupe cauata
Me puerum acclinem paleis, cannaque palustri
Suffultum (tantum placuit mihi semper egestas)
Submisso coluere genu, positaque tiarâ
Dulcia adoratis fixerunt basia plantis,
Angustosque lares cumularunt Perside gaza.
Hinc discat regalis apex sua dona capaci
Deproperare sinu, nec inani fidere sceptro,
Futilibúsue bonis, nec dedignetur egeni
Sectari monumenta ducis, sua gaudia semet
Dedoceat, cui molle venus, cui dulce potestas,
Cui fulgor blanditur opum ; sciat ætheris heres
Imperiumque, aurumque, voluptatesque dolosas,
Exemplo calcanda meo. Non ipse refugi
Dura rudimenta, & Bethlemi ignobile tectum
Difficiles gelida perpessus nocte Decembres,
Immitesque auras : rutilo quis picta metallo
Atria, quis nitidos cultus, quis diuitis aurum
Arabiæ dotale velit, gemmaque capaci
Ducere odoratos, luxu suadente, liquores?
Cum mea marmoreos damnent præsepia postes,
Regalesque toros, collucentesque smaragdi

Igne

Igne togas, mollesque sinus, vitæque licentis
Orgia, & insanas, rerum per inania, curas?
Hæc valida conscribe manu, stimulisque iacentes
Sollicita, ac repetens iterumque iterumque lacesse:
Et totum attonitis mortalibus ingere solem.
Scilicet hæc æui labes, hinc cladis origo
In proceres populosque fluit, quod quisque futuri
Immemor, humanis oblimet pectora curis,
Nec reputet nostros soboles ingrata labores,
Quos tulimus, seu cum Pharias puer exul in oras
Cœca nocte feror, sæuo subducta Tyranno
Victima, seu quinis terra Nasaretide lustris
Sub lare plebeio, fabrilem inglorius artem
Tracto meis male notus auis; & censeor imâ
Stirpe satus, summo proles æquæua Parenti,
Dissimuloque genus: seu cùm tricesima vastum
Me vocat in campum, crebris sudoribus æstas,
Iordanemque lego, quodque haud admisimus, vndis
Mergo nefas; seu cùm nemorum nigrantibus vmbris
Abditus, immensis memet præmunio curis,
Perque quaterdenos tolero ieiunia soles:
Seu cum ter stygium gradior bellator in hostem,
Terque lacessentem subigo. Tu cetera vitæ
Tempora, & ingentes, quantùm reminisceris, actus
Digere, & optatam meditando exfunde medelam.
Nota æui series: qualis quantusque per omnes
Isacidûm terras ierim, seu voce tonandum,
Seu gestis, signisque foret firmanda potestas,
Æthereumque genus. Sed acerbi terminus æui
Plus nostræ virtutis habet: Tu cuncta recense
Supplicia, & lacrymas, desudatumque cruorem
Ante necem, & paria immensis ludibria pœnis,

Seu

Seu reus ad Caiphæ postes, seu triste tribunal
Haud æqui Prætoris agor, seu tollor ab omni
Ridendus Solymâ, popularis vt histrio scenæ,
Herodisque iocus. Seu cùm lacrymabile terris
Prodigium, memet ferali Golgotha trunco
Sublimem ostentat cælo, pallensque recusat
Sol tantum spectare nefas, tellusque tremiscit,
Saxaque dissiliunt, reserataque busta queruntur
Occasum miserata meum. Nihil ista furentes
Isacidas portenta mouent; sed tigridis illis
Horror inest, rigidæque tenent præcordia cautes.
Perfossasque manus, & hiantia tempora dumis,
Exanguesque oculos, atque ora madentia letho
Despicit insultans, & nostra morte triumphat
Impia gens, pectusque fodit, dum stilla cruoris
Restat adhuc; toto mihi sanguine nempe litandũ est.
Omnia consumpsi, quid poscit plura? redemi
Me toto mortale genus, quæ digna rependet
Præmia? tercentum quamuis super orbibus orbes
Adiiciat cunctosque meos impendat in vsus,
Impar semper erit: non te tamen exulis Heuæ
Progenies, pigeat monstrato insistere calle,
Tendere & herôo mea per vestigia passu.
Nunc errare nefas post tot documenta: supremis
Tot ducibus calcata via est. hinc quisque requirat
Quod vitæ sectetur iter, quæ semita laude,
Quod probro signetur opus, quis finis honesti,
Quis maneat tandem scelus exitus: optima prudens
Eligat; hæc totas superet cura vnica curas.
Primus ego rutilam trepidis per deuia, pandam
Stellanti super axe facem, mox cedet inanis
Terror, & exhaustas cernet pallere tenebras,

Et nostrum fulgere diem, qui limite dextro
Ire volet, cæcosque procul vitare recessus.
At ne diffidat cæptis mens ægra, recentes
Inijciam stimulos, & robur euntibus addam,
Luminaque; obstantes donec consumpserit vmbras
Flammigeri iubar omne poli, turbæque propinquæ
Ætheris immensos pandat plaga lucida campos.
Emeritæ tandem post digna piacula vitæ
Lustratumque nefas, atque emendata sinistræ
Acta viæ, callemque noua sub luce repertum,
Tertius ad superos fulgenti lampade limes
Porrigitur, placidumque pios trahit æquor amantes.
Hic demum mens alta suis subducta tenebris
Æthereas prope spectat opes, quoque altius ingens
Haurit iter, cernit quanta sub nocte iaceret
Prima dies, procul hinc nebulas, orbemque minorem
Despectat, fruiturque DEO, totumque pererrat
Mente polum, gauderque sui monumenta tueri
Artificis, dulcesque diu compellat amores
Ingeminans IESVM, carum ac memorabile nomen,
Hunc solum votis, solum clamore potenti
Omnibus ægra locis, momentis omnibus optat.
Si roseos Aurora rubens promiserit ortus,
Feruet amans, nostrumq; iubar iam iã affore credit,
Quale remolito quondam super astra sepulchro
Auricomâ ceruice dedi, cùm læta serenis
Explicui mea signa iugis, comes vsque triumphis
Ire meis gestit, dominosque inscendere currus.
Si medio niteat sol torrentissimus orbe,
Attenuetque vmbras, totis tunc ignibus intus
Æstuat, & quamquam vix sit tolerabilis ardor,
Optat inexhaustæ sentire incendia flammæ,

C Qualis

Qualis nunc posita terrarum mole peturit
Cœlicolas, qualemque tuli, cum lucidus æther
Me reducem edomito victorem accepit auerno,
Accendique nouis geminos ardoribus axes.
Si tenebris nox victa cadit, si serus inumbrat
Vesper humum, tacitisque vehit solatia terris,
Horret amans tenebras, & pigra obliuia: nusquam
Soluitur in somnos, placidam neque pectore noctem
Accipit; inuigilant curæ, dominumque reposcit
Absentem, tantumque suum suspirat IESVM.
Attamen, ingrata tranquillæ noctis in vmbra
Hoc vnum solamen habet, quod voce sonora
Non responsuras suspiria iactat in auras,
Et circumfusi fruitur caligine cæli.
Delicias hic nempe suas habet, hinc noua libat
Gaudia, formoso dum scintillantia vultu
Atria, & ardentes zonis fulgentibus orbes
Suspicit illacrymans, & in omnibus ingemit astris;
Spectandi nulla est saties, immobilis hæret
Me sidus confessa suum. Si blanda voluptas
Astrorum spectare choros, faciemque coruscæ
Molis, & æternis laquearia stantia flammis,
Interior plus forma rapit, quam cernere necdum
Fas sinit: hic vestro nimirum excelsior orbe
Orbis amor, genitorque meus, sub luce suprema
Degit inaccessum vestris obtutibus æuum
Nil opis humanæ cupiens, nil laudis egenus
Magnarum securus opum, violabile nulli
Imperium sceptrumque gerit, consorte bonorum
Vnigenâ, nobis namque indiuisa potestas.
Felices quos hæc, cunctis imperuia telis
Deliciosa Domus, gremio interiore recepit,
Curarum

Curarum vacuos, regniq́ue in parte locatos.
Macte, laborifera quiſquis luctaris arena
Et vaſtum decurris iter, ne fronte minaci
Te labor, aut ſummo reuocent iuga proxima cælo,
Aut mœſtæ caligo viæ deterreat: ipſe
Ipſe adero, promptuſq́ue nouas ſub pectore vires
Sufficiet tibi noſter AMOR, perq́ue ardua ſecum
Saxa gradu maiore vehet, grauibuſq́ue docebit
Inſultare malis, nec formidare cohortes
Tartareas, motoſq́ue imâ tellure fragores,
Fulminaq́ue, & tonitrus, & inanes roboris iras.
Crede, ſuum comitē (rata ſunt hæc fœdera) nunquam
Deſtituet benè fidus AMOR, licet infera contra
Regna fremant, totumq; trahat dux improbus orcū.
Hic dubios inter caſus, infeſtaq́ue ſigna,
Bellantumq́ue globos victricibus induet armis.
Donec tergeminæ tandem poſt ritè peracta
Tentamenta viæ, debellatumq́ue ſecundis
Auſpiciis erebum, ſudore & ſanguine multo
Ætherias rapiat ſedes, raptiſq́ue fruatur.
Hæc orbi vulganda velim, Tu tempore fauſto
Vtere, & auditis momenta & pondera verbis
Adiice; præclaro merces æquanda labori
Proueniet, dignaq́ue operæ donabere palma.
Poſteritas te tota leget, nec amantibus vnquam
Infecunda viris, nec aquis ſatianda malignis,
Hauriet æternas illis de fontibus vndas.
At quoniam aduerſis victrix patientia rebus
Emicat, occurret ſeries glomerata malorum,
Tu ne cede malis, ſed inexpugnabilis aude
Ferre iter impauidum contra; primordia rerum
Non humiles poſcunt animos, per turbida ſurges

Tunc maior, cùm pressus eris; Te grandibus ausis
Præsudare volo. Fixa hæc sententia, primus
Ardua curarum, & generosi pondera belli
Ardentesque orci furias patiere: sed in te
Maior vbi pugnæ moles incumbet, & omnes
Bellabunt acies, adero, & socia arma iuuabo.
Tunc me a Romuleo pro te deferuere campo
Aspicies, lateque meis fulgere sub armis
Omne iter, hostilesque procul trepidare cateruas.
Quare agedum nostræ fisus munimine dextræ
Aggredere ingentis clara incunabula vitæ.
Ac primò ingenuas animum molire per artes
Peruigil, & docta studiorum occultus in vmbra
Disce, quod in solem, campumque immittere possis.
Macte animo, atque nouas castrorum concipe formas.
Hac iter est ad summa: bonus videaris, & esto
Dux aliis milesque tibi. Verum hactenus ista
Præmonuisse sat est; posthac, vbi tempora poscent,
Et maius feruebit opus, tibi cetera pandam.
Sed quoniam mens læta suos prænoscere casus
Ardet, & occultum curas extendit in æuum,
Nunc dabimus spectanda tibi sub luce decora,
Quæ loca, quos populos visas, quæ commoda tellus
Sit studiis, castrisque nouis, quonam ordine cœptum
Surgat opus, crescatque suis velocius annis.
Dixit, & alatos stellanti in veste ministros
Ocyus accitos monitis ingentibus implet.
Ætherei iuuenes, nostrum decus, ite per omnes
(Sic amor est) terræque plagas, tractusque liquentis
Oceani,

a Intellige hic apparitionem factam Ignatio postea Romam eunti, in qua Christus crucem gestans, dixit. *Ego tibi Romæ propitius ero.*

Oceani, Monstrate vias, quas limite certo
Iam noster Loiola premat, quænam agmina secum
Curarum in partem iungat, quibus orbis in oris
Sint fixura suas sociorum examina sedes.
Hæc inter, summi reserans penetralia cæli
Amplum, augustum, ingens, multa cum luce volumen
Promit, & aligero voce hac commendat ephebo.
Vnius annales secli tibi tradimus: ite
Ite alacres, quà sol populis oriturque caditque,
Visite signatum, fastis ducentibus orbem.

Finis Libri Primi.



ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI.



Omplectitur hic liber, vti & reliqui sequentes, prædictæ iam ecstasis continuationem: deinde ciuium Manresanorũ stuporem super insolito IGNATII *raptu; dæmonis præterea liuorem ac odium aduersus eundem, ardua ac præclara aggredientem; generosum item Loiolæ animum in Hierosolymitana profectione obeunda, studia ingenti labore suscipienda Barcinone, Compluti, Salmanticæ, Parisiis, vbi & eius socij nomen ibidem adsciscendi describuntur, variaq́ per eos ad animarum salutem spectantia, Romæ, Venetiis, in Italia tota, aliisq́ orbis partibus patranda designatur. His adiicimus alios, tum scriptis, tum factis præstantes in Europa viros: ac summatim attingimus plurima in diuersis itidem Europæ Prouinciis instituenda Societatis Domicilia. Ad extremum recensemus S. P. Nostri* IGNATII, *in gubernanda Societate successores Generales iam vita functos: nonnullosq́ tam gloriosis parentibus dignos filios, genere æquè ac sanctitate nobiles adolescentes.*

DE

DE RAPTV MANRESANO S. IGNATII DE LOIOLA FVNDATORIS SOC. IESV

LIBER II.

DVm ſic Beltramides ſublimis imagine ſomni
Raptus obit cælos, hauritque fauentia verba
Pennato commiſſa Duci, faſtoſque recentes
Arcanaſque notas cernit; Tibi, maxime IESV
Grates, inquit, ago, grates tibi Maxima VIRGO.
Vos trepidantem animam, mortali è carcere raptam
Trans euri, pluuiæque vias, vexiſtis ad arces
Ætheris, & cæli (rarum hoc) maiore ſereno
Poſſe frui, cætuſque ſacros luſtrare dediſtis.
Inſuper & nobis ventura recludere ſecla
Nil meritis placuit, noſtræ & conamine dextræ
Militiam inſtaurare nouam, quæ nomine IESV
Inclyta delectas vocet ad certamina mentes;
Haud equidem tali fueram dignandus honore.
At quoniam vobis manet hæc immota voluntas,
Aggrediar quodcumque lubet; nec tela, nec ignes
Obſtiterint votis; ſunt nobis prodiga vitæ

Pectora, supremam nil horrescentia mortem:
Solus ego, duce Te solus Phlegethonta lacessam,
Nec mihi fas quidquam IESV ductore vereri.
Talia flammato fundentem pectore, CHRISTVS
Loiolam exacuit dictis, roburque virile
Aggerat, & casus animum præmunit in omnes.
Iamque recessurum super interiora polorum
Culmina, cælicolæ cuncti comitantur IESVM,
Ante omnes Regina parens, quæ voce suprema,
Vade agedum Loiola, infit, formidine pulsa
Tela inter media, atque emissas dite cateruas,
Teque tuumque tegam genus auxiliaribus armis,
Nusquã abero, & postquã bellando exhauseris æuũ,
Aurea te reducem rursum hæc ad limina sistam.
Dixit, & extemplo decus admirabile cessit
Ex oculis. Veluti procerum stipante corona
Splendidus augusta Rex Maiestate theatrum
Si populo spectandus init, pictoque cothurno
Altior ingreditur cunctis, solioque superbus
Ostentat gazasque suas, turbamque suorum,
Tum plausu, fremituque virum, studiisque fauentũm
Consonat orchestræ locus omnis, & atria circum
Subsultant: sed sipario si forte reducto
Tollitur optatæ species ante obuia pompæ,
Hæsitat impatiens vulgus, regemque requirit
Deliciasque suas, quamquam spes nulla regressus
Ardet adhuc, auidum vel inanem cernere scenam.
Haud secus ablato formæ cælestis honore,
Stat tamen, & vacuam crebro circumspicit aulam
Cunctaturque stupens IGNATIVS: omnia menti
Sint subducta licet, visa atque audita recursant,
Sollicitantque animos. Stimulis hinc acribus ictus

Verbo-

Verborumque memor quæ VIRGO nouissima fudit,
Sic paucis, rutila aspectans conuexa, precatur.
Diua Parens superum, cui sunt mortalia cordi,
Serratumque iugum, Lauretanique penates,
Tu bello, tu pace potens, tibi militat æther
Arduus, & lectæ veniunt ad signa cohortes,
Tu mihi sis pugnæ Princeps, Tu ritè secundes
Prælia, & inceptis felix allabere nostris,
Quæ Manresana clausi versauimus vmbra.
Hæc fatus, campis stellantibus inclytus heros
Pascitur, obtutuque hæret defixus eodem,
Adstantemque suo lateri miratur Achatem
Aligerum, Domini mandata facessere promptum,
Et quoscumque velit terrarum ostendere tractus.
Manresæ interea spargit vaga fama per vrbem
Loiolam extinctum, vidi, inquit, credite vidi
Exanimes artus, & pallescentia miris
Ora modis, nuda porrecta recumbere terra.
Vndique visendi studio concurritur, hæret
Circumfusa cohors, lacrymas lamentaque cunctis
Improuisi obitus, & mors imitata quietem
Eliciunt; stupet ille genas, & luminis orbes
Diuinum perflare iubar, vultusque precanti
Persimiles, stupet ille manus (ceu vita supersit)
Cælum obtestantes, digitis per mutua nexis.
Scilicet in gelido notæ pietatis imago
Corpore; spirat adhuc, seruatque serena tenorem.
Hinc dolor, hinc clamor simul omnibus occidit eheu!
Occidit Indigetum numero dignissimus heros.
IGNATI, quæ te nobis sors abstulit? vrbi
Vix nostræ spectatus eras, & præcoce fato
Tolleris: ah nimium mors importuna! paratus

Ingentes maleſana ſecas : erat ille futurus
(Vt ſe pulchra dabant magnarum exordia rerum)
Præſidio nobis, reliquoq́ue ſalutifer orbi :
Has tu ferrea mors vno ſpes demetis ictu.
Sic ſolet immitis cedros Libanitidas eurus
Sternere, & excelſo ſurgentia brachia trunco
Venturis quondam factura nepotibus vmbram
Proturbare ſolo nemorum lugente magiſtro.

Hos inter populi queſtus, remorante ſenecta
Tardior aduentat a LAVSVS, qui mente ſagaci
Virtutem egregiam IGNATI, Laudataq́ue geſta
Ceperat & ſacros animi deprendere raptus;
Ac primùm, ô ciues, vanis quid queſtibus auras
Frangitis, & lacrymas luſi iactatis inanes?
Creditis extinctum Loiolam? aut nulla putatis
Vitæ ſigna ſuper? mihi ſi quid cognita virtus,
Relligioq́ue viri, atque inſueti numinis hauſtus
Coniectare iubent, ſubitoſq́ue ediſcere caſus,
Hunc ſpirare reor; lacrymas compeſcite, crebrò
Sic viuit, teſtata loquor; neque vanus haberi
Augur ego renuam, ſi non modò dicta probarim.
Hæc fatus, placido pertentat pollice venam,
Hanc vbi nil de more (malum!) trepidare notauit,
Diloricata luſtrat præcordia veſte,
Exploratq́ue latus læuum, penituſq́ue latentis
Spiramenta animæ, tenuemq́ue in pectore vitam
Agnoſcens, hilari confeſſus gaudia vultu,
Viuit io! exclamat, nec totus ad æthera raptus,
Parte licet potiore ſui, ſuper alta moretur
Atria, reddetur nobis, ſeruandus, vbi illum
Ingens deſtituet vis, & cæleſtis imago.

His

a. Lauſus nomen arbitrarium ciui Manreſano attributum.

His ſpes arrectæ populi, exultantiaque hauſit
Corda repens vigor, & non expectata voluptas.
Hinc ſeſe agglomerat denſiſſima turba ruitque
Inſpectura virum propiùs, geſtitque repertam
Pertentare animam: vetuit ſed maximus a Hector
Hector auis, atauiſque potens procerumq; ſupremus,
Siſtite, ait, curſum, greſſuque repentè remoto
State procul, nullique ſacros turbare ſopores
Fas ſit; ego, ſi quis. Sed verba minacia pono.
Tempus erit, cum ſeſe oculis mirantibus vltrò
Reſtituet, noſtramque nouis rumoribus vrbem
Implebit, propiùs tunc occurſare licebit,
Atque palam lætas audire, & reddere voces.
Dixit, & amota, vario cum murmure, turba,
Beltramidem æthereæ ſinit indulgere quieti.
Atque ea venturi metuens primordia belli
Dux erebi, haud æquo reſpexit corde Loolam
Conciliis mixtum cæleſtibus: ilicet ille
Ferrũ ignemq; vomit, motoq; acheronte fremendum
Ad ſuperos molitur iter, maneſque profundos
Concutiens, vaſtum ſonitu tremefecit auernum;
Ac ferrugineas rapiens in bella cohortes
Eumenidumque manus, noſtrũ furibundus in orbem
Amiſſum veluti rurſum inuaſurus olympum
Erupit, noctemque dolo ſortitus opacam
In Manreſana ductor ſtetit improbus arce.
Tum circumſpectans latè loca, cernitis, inquit
O Socij (neque enim cæcas delegimus vmbras
Ignaráſue operum) veteris ſub fornice templi
Loiolam exanimem comploratumque ſepulchro
Penè datum? ille mihi (ſi quid præſaga mali mens
C 6 Proſpicit)

a Hector, nomen attributum viro primario Manreſæ.

Prospicit) exitio veniet, nostrisque cateruis
Pugnator metuendus erit. Me maxima certè
Iam terrent exorsa. Nouæ vix limina vitæ
Ingressus, spatia arripuit, campoque potitus
Immenso reliquos præteruolat interuallo,
Iamque adèo superas, quas nos malè liquimus, arces
Ante diem felix, secura mente peterrat.
Indecores animos metus arguit. At quibus ille
Iactatus bellis, quam forti pectore, & armis
Restitit obnixus contra aduersantia tela!
Scit Pompeiopolis, scit Gallica turba, scit ipse
Vulneribus propriis illustrior. Illa (fatebor)
Illa dies funesta mihi, cùm glande maligna
Saucius, in melius gressumque animumque reflexit:
Tunc illum decuit crudeli occumbere dextra,
Aut certè nullo violatum vulnere, rectà
In titulos creuisse nouos, & marte secundo
Fortunis inhiasse aliis: nunc (dicere probrum est)
Lædimur à læso; nocuerunt vulnera nobis,
Non illi. Nunquam sic euasurus in altum
Ni cecidisset, erat. Quid porro militis huius
Commemorem inceptos, ludibria nostra, triumphos?
En partas pertæsus opes, pertæsus honores,
Militiæque decus, castra altera, & altera bella
Suspirat, contraque stygem bellator inermis
Arma parat. Nouit Serratus plurima collis
Acta viri, nouit præsens Manresa, nec horum
Viuimus ignari. Quid vos, ô agmina fida
Obsequio iurata meo, deuota bonorum
Exitio, par est moliri & tendere contra?
Ipse equidem primas hæc in noua prælia partes
Iure mihi deposco: graues pudor excitat iras,

Cum

Cùm fractus bello miles, suraque labanti
Debilis, in nostras audet consurgere turmas,
Faxo, dabit pænas, si quid se opponere tentet
Præterea, aut nostros terris auertere honores,
Nescio quid verear, vereor tamen: omnia certè
Iam dudum suspecta mihi, noua regula vitæ,
Pauperies, despectus opum, cælestium amores,
Nostri ardens odium, scelerum fuga, pectoris alti
Martia vis, animi constantia. Talibus hercle
Principiis quandoque nouum caput extulit orbi
Relligio, in nostros nimium damnosa penates.
FRANCISCI inuisam sobolem, & contraria nostris
Castra, eheu! memini simili de semine nata:
Quæ modo (disrumpor recolens tot damna meorum)
Europamque Asiamque suis cultoribus implent.
Dispeream, nisi quid pridem nisi tale minatur.
Ille lacernatus miles, pede claudus, & aula
Cælicolum iam dignus. Hui! stimulante furore
Vix me contineo quin protinus inuolem, & v nco
Dente molam exangues artus, mortique soporem
Consociem, bellique metus cum milite tollam:
Sed dextra maiore vetor. Vos, si quid in orco est
Ingenii, virtute, dolo depromite, nusquam
Cessandum est, vbi bella premunt: quare impete toto
Clamque palamque, dies noctesque, domique forisq;
Exercete odiis hominem; dux præuius ibo.
Nil intentatum, pugiles, nil linquere inausum
Constitui, properabo, & memet in omnia vertam,
Quo genus exposum Loiolæ, inceptaque prima
Disturbare queam: quin totum à sedibus imis
In caput vnius (mihi ius) Acheronta ciebo.
Esto, non dabitur regnis prohibere polorum,

Et decreta manet condendæ gloria gentis,
At trahere, atque moras cæptis afferre licebit.
Quidquid id est, contra ire iuuat; sic suadet erinnys,
Experiemur, vtri felix victoria cedet.
Dixit, & immanes quassans ceruice cerastas
Horrendum infremuit, cuius concussa boatu
Tartara, & abruptis, circum latrantibus vmbris,
Intremuit Manresa iugis. Tam dirus vbique
Fit fragor, hinc credas pariter collisa rotari]
Aequora, & effracto crepitare tonitrua cælo.
Tartareum trepidat foedo sub principe vulgus,
Et faciem igniuomam, vocemque, & verba tremiscit?
Attamen imperiis stygij parere tyranni
Docta cohors dudum furialibus excita dictis
Ringitur, ostensumque iras consumit in hostem.
Hæc inter placidus perstat Loiola, suique
Alitis alloquio fruitur, nectarque beatum
Haurit inexpletus: tum dux vigil æthere ab alto
Manresana procul despectans moenia, carum
Loiolam affatur: viden'vt turbetur Auernus
Te propter, capitique tuo, generique minetur?
En coniuratis coëunt ad prælia signis
Indignabundo monstra eluctata barathro.
Parce metu tamen IGNATI, licet omnis in vnum
Tempestas effusa ruat nihil illa nocebit
Auxilio difflanda Dei. Sunt fulmina mille,
Mille nocendi artes erebo, sunt tristia bella,
Iræque insidiæque. nihil sine numine Diuum
Eualuere minæ ingentes. Vanescet inanis
Impetus, & fractæ venient in saxa procellæ.
Continuò hæc fatus supero delapsus ab axe
Loiolâ comitante, leui vaga nubila planta

Traiicit,

Traiicit, & ſacris Solymorum ſiſtitur aruis;
Tum digitum intendens cuſtos fidiſſimus infit,
Cernis *a* Idumeæ, comes ô celeberrima terræ
Mænia, diuino quondam inſignita cruore,
b Barbarico nunc preſſa iugo, Threſſaque ſecuri.
Hæc Manreſanæ poſt tentamenta cauernæ
Sunt primum luſtranda tibi; maris æquor arandum,
Inque peregrinis ſubeunda pericula terris.
His digna eſt *Solyme*: nunquam ſine ſanguine tellus
Hæc calcanda foret, *Patiens* quam tinxit *Ieſus*
Ante ſuo. Decet iſta viros via, mollibus iſtic
Haud opus eſt, vbi ſæua Deo nec ſpina pepercit.
Ieſſæam poſtquam peragraris ſedulus vrbem,
Finitimoſque locos; tu ſingula mente retracta
Peruigili, quæ viſa prius: ſi tempora poſcant,
Si roget auditor cupidus, concede roganti,
Nec pigeat poſita Solymam depingere menſa.
Hic ibat Cedron, hic collis diues oliuis,
c CHRISTVS vbi (reditus patriũ ſuper æthera, ſignum
Immortale) pedum veſtigia marmore fixit.
Getſemani hic ſaltus, hic prata rubentia ſacris
Imbribus, hæc multo loca perſonuere precatu,
Hæc Annæ funeſta domus, domus illa cruenti
Præſidis, heu! miti nimis vtraque barbara IESV.
Hic ſtetit Herodis faſtoſi regia, noſter
Rex vbi, candenti ludos in ſchemate, cælo
Flente dedit, magno eſt perſona hæc acta theatro.
Ecce hic Golgothei memoranda cacumina montis.

Triſte

a Ignatius Hieroſolymam luſtrauit reipſa. An. 1523.
b Turcico, ſeu Solymañi imperio, Hieroſolyma nũc ſubdita.
c In Monte Oliueti apparent etiamnum veſtigia relicta à Chriſto cælum ſubeunte.

Triste iugum, tristique iugo CRVX addita, nostri
Sponda *Ducis*. Tum fata doce, nullo excidat æuo
In *Cruce fixus amor*, IESVS: hinc robur & arma,
Hinc vitæ documenta petas. Sed demoror, horæ
Præcipites, alios hortantur viscere tractus.
Tum sic aligerum lacrymis affatur obortis
Beltramides, ô luce magis dilecte, quid vltra
Tendere opus? satis est vna hæc, præque omnibus vna
Cara mihi tellus, iuuat hac tellure morari,
Atque Sionæas lustrare frequentius arces,
Amissumque diu, ceu Magdala, quærere sponsum
Scrutarique vias, & in omni plangere colle.
Hic locus, hæc sedes nostris secessibus apta.
Ales ad hæc; laudanda rogas, sed dîa recusant
Iussa moras, aliquid iam dudum inuadere magnum
Est animus tibi, perge igitur: namque ignea virtus
Limite non vno gaudet, velut arbor inerti
Fixa solo; sed sponte salit, micat, ardet, & omnes
Obicibus ruptis, latè procurrit in oras,
Torrentis vel more, citi vel fulguris instar.
Hæc vbi dicta dedit, liquidi trans æquoris vndas
Corripuere leues spatium, cæloque volantes
Parthorum iaculis, rapidoque citatius euro
Sublata ex oculis Solyme, pelagoque relicto
Littora nota vident. Vbi a *Barcinona* propinquam
Conspexere, tua hîc, inquit cælestis ephebus,
IGNATI, statues latiæ incunabula linguæ.
Hæc noua militia est: procul hinc furor, arma, tubæq;
Fulmineique enses. alius tibi campus, & ordo
Panditur

a Ignatius Barcinone studia auspicatus est, Barcinon, vulgò Barcelona, vrbs primaria Catalauniæ, sita est ad oram maris mediterranei, versus Orientem,

Panditur, vmbroso disces certare lycæo,
Telorum hic extra iactum, cæcosque tumultus,
Aggrediere leuem sine cæde & sanguine pugnam,
Pro gladiis sclopisque, libros calamosque tenebis
Securæ iam pacis amans; noua verba sonosque
Inflectes, rigido pensum repetente magistro.
Ardua res (fateor) veteris commercia belli
Linquere, & imbelles inter residere cateruas,
Oblitumque sui, puerorum assuescere signis.
Mascula sed virtus sibi postulat ardua, nunquam
Vel summis frangenda malis. Age, grandior æuo
Tende animum vigilem, generosumq; imbue pectus
Artibus his, claros cælo geniture nepotes.
Hæc tirociniis erit vrbs accommoda: deinde
a Complutum tentanda via est. Neque dispare voto
Te celebres inter *Salmantica* diues alumnos
Aspiciet, non æqua tibi: nam vincula collo
Haud merito inijciet, tenebrisque & carcere cæco
Damnabit superis carum caput. At modò vanos
Pone metus; magnæ hinc dabitur tibi copia famæ,
Emerges tenebris illustrior. Hæc vbi fatus
Per Tartessiacas comitem dicto ocyus vrbes,
Cantabriamque procul b Guipuscoamque salutans
Arripit: ille volans nitidi per inania cæli
Mox iuga Nauarræ, Pyrenæasque pruinas
Præterit, & vestros, populosa c *Lutetia*, colles
Allapsu

a Ignatius. Compluti, & Salmanticæ studia prosecutus est, vbi in custodiam datus, sed mox liberatus. *Historia Societatis l.* 1.

b Regio Cantabriæ, vbi ortus est Ignatius, contigua regno Nauarræ, & Pyrenæis montibus qui eam à Gallia discriminant.

c Ignatius Parisiis studia absoluit.

Allapſu propiore petit. cohibere volatum
Hic placuit, lenique iugo captare quietem,
Vnde patet vaſtam facilis proſpectus in vrbem,
Cuique â Martyribus laus plurima. Vertice in illo
Vt ſtetit æthereus ductor, Viden', inquit, alumne
Ogneſi, fæcunda viris, Florentia Muſis
Mœnia, Sequanicas circumcingentia ripas?
Orbis Athenæum credas. huc littore ab omni,
(Ducit amor famæ, & ſtudiorum incenſa cupido)
Certatim properat iuuenum lectiſſima turba.
Qualiter Hyblæi per amæna cacumina montis
Cecropiæ glomerantur apes, celereſque pererrant
Nunc thyma, nunc violas, & in omni flore laborant,
Ac vernas populantur opes, & mellis auaræ
Dedaleas ſtipant roranti nectare cellas.
Vix vſquam campo maiore exercita virtus,
Et doctrina virum poſcit; qui fræna iuuentæ
Contrahat, & ſtimulos torpenti in pectore figat.
Te labor hic Loiola vocat. Mox ordine certo
Ordire ingentem curſum, facinuſque, quod ætas
Suſpiciat præſens, quod poſtera laudet, & orbis
Lætus amet, dicique ſuum velit æmulus æther.
Hîc (ſors læta!) a nouem varia de gente Sodales,
Inſignes animas, IESVque in nomen ituras
Adſciſces; ſacer hic numerus, tali agmine cinctus
Dignum aliquid ſuperis, faſtiſque perennibus edes.
Rumpe moras; animo cupienti ſtare videntur
Sæcula, & vt properes, mundo heu! in Auerna ruenti
Nulla ſatis feſtina ſalus. Quid? noſſe laboras
Heroas tecum præclara in bella legendos?
Nil ego cunctabor, nec enim mulctanda repulſa
Vota

a Ignatius Socios nouem ſibi adiungit Pariſiis.

Vota foues, fastos hic aspice fata recludent.
Prima tibi soboles, & formidata profundo
Dudum erebo, *Faber*, Allobrogũ de sanguine cretus,
Ille quidem haud titulis nec honora luce verendum
Stemma trahet, ceras nec dinumerabit auitas.
Sed vel sic stirpemque suam, cætusque tuorum
Nil mortale parans, illustribus efferet actis
Spem vulgusque super; bellum memorabile cudet
Ille stygi, vitiisque. tremunt nunc ostia ditis,
Quæque (eheu!) nimium studia in contraria fertur
Illius validos Germania sentiet ictus.
Ille autem (cuius nomen præfulgurat auro)
Ille secundus erit, sed enim vestigia Fabri
Anteuolans, totas in cursum effundet habenas,
Et rapiet primos victor palmaris honores.
Ille erit, ille tibi suppar XAVERIVS, acer
Ingenio; virtute ferox. Namque antè domandum
Ingentes animos renuet submittere, fræni
Impatiens. Bellator equus sic fortè potitus
Ante diu campis, & libertate, superba
Excutiens ceruice iugum, negat aspera duris
Ora lupis, dextramque rudis detrectat herilem.
Hunc age præ reliquis (licet intractabilis ætas
Abnuat imperium) tibi deuincire memento
Mollibus obsequiis, sensim obluctantia colla
Subijciet, discetque tuis parere lupatis.
Ille tibi domitus, populos mox mille domabit
Indociles, legemque pati, cultusque docebit,
Immensum agmẽ agens, magniq; erit agminis instar.
Sed quid ego hæc cunctans memoro? post ire per om-
(Sic opus est) heroa lubet, vastoque volantem (nem
Æquore, & Eöi lustrantem littora mundi

Vsque

Vſque ſequi, & preſſæ veſtigia cernere terræ.
Sed priùs, hunc opus eſt Italo præludere campo,
Nunc alios comites, ingentia nomina, paucis
Expediam, memori tu condita mente teneto.
Tertius in campum miles, linguaque manuque
Egregius (ſtyx atra time gratare Seguntum)
Proſiliet, doctuſque tuis ſudare ſub armis
Ingens conficiet generoſis paſſibus æquor
Laynius: tecum ille acies, tecum ardua ſigna
Diriget, huic poteris curarum aſperrima tutò
Credere, partirique iugum, quæ flumina linguæ
Ille Tridentino a vehet admiranda theatro!
Æternum hinc ſocijs nomenque decuſque parabit.
Non ideò hanc procerum plauſus, non infula mentem
Inflectet, non purpurei decora ampla galeri.
Felix ille animi, tumido qui limen honori
b Occludet, tutamque procul fulgentibus aulis
Degere virtutem Exemplo monſtrabit. Ad alta
Nimirum hic trames fidiſſimus, ima tenere.
Laynio comitem cæptis felicibus addet
Nobile Toletum: Viridi ſpectandus ab æuo
Patrator magnorum operum, comparque priori.
Hic erit *Alphonſus*, noſcendus & ipſe Tridento.
Hibernis Scotiſque alta caligine merſis
Lux aderit, lucemque nouam mirabitur Arctos.
Hinc vbi digreſſus gelidàs tranauerit Alpes,
Sauromatas, Geticoque ſitos ſub cardine, rurſum
Vret, hyperborei recaleſcent igne Triones.
Pòſt fluctus maris Adriaci tranſgreſſus, & altas

Erida-

a Tertiò cum P. Salmerone Concilio Tridentino interfuit.
b P. Laynez honores in Eccleſia ampliſſimos ſibi ſæpius oblatos conſtanter recuſauit.

Eridani ripas, Venetas properabit ad arces,
a Parthenopenque: suis hortatibus omnia vertet
In melius,mixtumque trahet cum plebe senatum
Vndanti pelago rapidoque simillimus imbri.
Quid tibi *Simonis Bobadillaq;* calentis
Ingenia,in primo iam promittentia partu
Grande aliquid,referam? tales Hispania felix
efferet in lucem: Tellus hunc Itala talem
Agnoscet, ponetque suos trux Dalmata mores.
Illum autem studijs florentem,& magna parantem
Edere,suscipiet reducem complexibus arctis
b Ora Tagi, extremos hinc auxiliaria mittet
Agmina ad Auroræ populos,gentesque repostas.
His comes accedet,socialiaque arma iuuabit
Inuictus bello *Iaius*, qui sponte *Gebennam* c
Deseret altricem scelerum, qui monstra lacesset
Lemano generata lacu: quem d *Norica* deinde
Terra viris,armisque potens,atque Austria læto
Accipiet gremio venientem,ac mœnibus amplis
Inferet,ardentem dictis,cathedraque tonantem.
Turbidus hinc alias,discorsque frementibus vndis
Condiscet placidos Ister deuoluere fluctus.
Extremi hanc aciem gemino munimine cingent
Impauidi pugiles, *Codurius* atque *Broetus*,
Ingenio,virtute pares,non finibus: illum

Na-

a Salmeron ingenti fructu, Neapoli maximè, conciones habuit.
b Vlysippo, vrbs primaria Lusitaniæ fluuio Tago celebris.
c Vulgò Geneuam,oppidum Allobrogum, ad lacum Lemanum situm.
d Regio Germaniæ, Banaciam nunc ex bona parte appellant.

Nascentem Rhodanus lætantibus alluit vndis.
Postmodo diuino mulcentem corda profatu
Audiet attonitis a Padus auribus, audiet ingens
Æquor, & Ionij sulcator, & accola ponti.
Quantos ille virum motus flagrante cieret
Pectore, præclaros ni mors abrumperet ausus!
Ne lethi genus, aut luctum ne quære tuorum
Sic superi voluere: suo stant ordine fata,
Fixa cuique dies: viridi licet occidat æuo,
Iam cœlo maturus erit. Quid facta *Broeti*
Persequar? ô tali b Picardia prole beata!
Ille tuo monitu flammis maioribus vstus
Quam, queîs zona rubet, nudos Garamantas, & atros
Viseret Æthyopes, aliosque ostenderet ignes
Quos vel ab ætherea Diuûm pater attulit arce,
Vel quos celat humus sceleratæ præmia turbæ.
Gallia sed repetit, Libycisque laboribus obstat
Ardentem complexa virum, quem limite lato
Entheus ardor aget, cui nec Parisina satis sint
Mænia, nec teneat rapidarum gurgite aquarum
Sequana: sed tantis tamen obuius ignibus ibit
Ignis edax, hominemque lues premet: inde citato,
Sed non indecori cadet insons victima letho.
Hactenus annorum, Loiola, elementa tuorum,
Selectosque duces, primæque ex ordine gentis
Ingenia, & mores, signandaque nomina fastis
Et retuli, & retulisse iuuat, nunc cætera promam.

Hos

a Intellige vrbem Patauium, seu Paduam à Padi fluuij vicinitate sic dictam, quo missus est Codurius pro concionibus. Obiit hic primus è 9. Sociis. 1541.

b Natus fuit Broëtus Ambiani in Picardia. peste obiit Parisiis anno 1562.

Hos vbi collectos audere in prælia cernes,
Et tecum illustres iam tum spirare triumphos,
Certamen securus ini: tibi nostra benignum
Sternet iter bello pietas: Sed ne qua labascat
Fortè fides comitum, cunctos prius arte magistra
Instrue, solicita dictis, hortatibus vrge,
Fac omnes idem ardor agat, sit in agmine toto
Mens eadem. Vnanimes socios vis nulla domabit,
Discordes leuis aura feret, soluetque: perennis
Vt sibi constet amor, votorum his vincula tende.
Tuque adeo ante omnes, voce exemploque præibis
Sedulus; & nexu temet grauiore iugabis.
Cernis vt assurgat delecti in vertice collis
Magnæ cælicolum matri templi inclyta moles?
Hæc sociâ stipante manu penetralia supplex
Ingredere, & multa summum prece numen adora;
Hic lacrymas bibat ara tuas, dominæque potentis
Trans nebulas, liquidum longè trans æthera vectæ
Effigiem ante ipsam. flagrantia concipe vota, a
Iuratumque Deo foedus, conceptaque Patrum
b Has iterum dulces vota instaurabis ad aras.
Hoc eat in mores facinus, serosque nepotes,
Hanc lucem celebrasse iuuet, quæ fausta quotannis
Dicetur vobis, & erit quæ maxima semper.
Finierat, cùm dulce iugum Parisinaque regna
Deseruere, secant properantibus aëra pennis,
Imbriferasque Alpes, Apenninumque niualem
Transmittunt auidi, mox & Tyberina fluenta
Romuleamque alacres aspectant desuper vrbem

Nube

a Prima Ignatii, & sociorū vota, in mōte martyrū, iuxta Parisios An. 1534.

b Hinc cœpta votorū renouatio, in Soc. postea vsurpata.

Nube cauâ septi. Tum sic diuinus Achates
Compellat comitem. Quam crebris surgere tectis
Et septem geminis impostam collibus vrbem
Aspicis, hæc *Roma* est, hic sedes prima tuorum,
Hic mundi sublimis apex, hic ille supremus
Præsul, in humanas cui summa potentia mentes
Imperiumq; datum est, qui CHRISTI oracula promit
Sortiturque vices. Illa pandetur ab arce
Condendæ fortuna domus. hinc inclytus ordo
Surget, & egregio series numerosa nepotum
Sanguine succrescens, vincet tua fata superstes
Stirpe sua felix, & auos numerabit auorum.
Ne dubita, fautor *a Paulus* tua numine dextro
Cœpta secundabit, cœptisque recentibus addet
Incrementa, nouas leges, & iura probabit.
Tu mystam eximium Latiæ Patrem vrbis, & orbis
Deuenerare caput; celso seu colle Quirini
Tarpeia seu rupe tonet, seu blandior omnes
Per populos det iura, viamque recludat olympi.
Quidquid erit, partes *Fidei, sedisq; latinæ*
Iurata tutare manu, magnoque Parenti
Teque tuosque *b* voue. Tali fundamine nixa
Relligio, immanes ridebit tuta procellas.
Quas vel liuor edax, cæcique insania vulgi,
Quas vel tartarei trux Principis ira ciebit.
Terrarum summo sub præside, dulce periclis
Obiectare caput, nullosque horrere labores.
Scilicet indomitum tali de vertice robur
Accipies, firmumque trahes per membra vigorem.
Qualiter

a Paulus III. Pontif. Max. Societatem confirmauit an. 1540.

b Quartum votum Societatis consistit in obedientia præstanda summo Pontifici.

Qualiter humani vegeta de corporis arce
Ignea vis animi, totos infusa per artus
Insinuat sese, & calefactis ossibus errat,
Pondus iners, brutamque alias sine fomite massam
Intus agit, roburque nouum, motusque ministrat.
Ergo Parisiaco, Venetoque exercita primùm
Puluere, lecta cohors Sociorum, viribus auctis
Confluet huc, dominaque pedem firmabit in vrbe.
Inde (a *Palæstina* quoniam tellure potiri
Non dabitur) varias victricia signa per oras
Proferet, Ausoniamque imprimis protinus omnem,
Ictu fulmineo, tonitruque potentius ipso
Permiscebit agens monitis cælestibus : horror
Numinis hinc animos vitiisque assueta subibit
Corda pauor, passim Sacræ ploratibus ædes,
Compitaque, & densis concursibus arua sonabunt.
Mox fugiet cæcumque nefas, iræque calentes,
Armaque districtumque tenens discordia ferrum,
Insidiæque, minæque truces : Pax aurea cælo
Lapsa, triumphali tranquilla per oppida curru
Ibit ouans, populosque suos Astræa reuiset
Virtutum vallata choro; mox templa refinget
Relligio, veteresque nouus decor induet aras.
Quid tibi diuini memorem tria fulmina verbi
Augerium, Stradamq; animosum, & nomine *Palmæ*
Conspicuum heroem, Parmæque in luce micantem!
O quanto hæc feriet mortalia pectora motu

D Im-

a Interclusa fuit nauigatio Ignatii & Sociorum eius in Palæstinam, ob graue bellum inter Solymannum Turcam & Venetam rempublicam exortum. l. 2 Hist. Soc. Vnde Romæ & in Italia tota, mira pro animarum salute operantur.

Imperiosa trias! *a Stradam* stupefactus Iberus
Audiet,& diti canet hunc Tagus aurifer ore.
Ante tamen Grudiæ demirabuntur Athenæ
Illum in suggestu stantem,similemque procellæ
Verba euoluentem,pleno memoranda theatro;
Sed Fabro præeunte modos: Sic prouehet illum
Nutritorque ingens,& clara incendia magnæ
Indolis,& tanto sub præceptore labores.
Immensum *Augerio* gaudebit Gallia , cuius
Sublimi clangore tubæ,gens mersa tenebris
Et scelerum cæno,discussa nocte , repentè
Eriget attonitum cælo caput; ægraque tollet
Lumina ad antiquæ fidei iubar,atque frementem
Hæresim (vnde sata est) stygis amādabit ad vmbras,
Detestata palam monstrum,monstrique parentem.
Ibit Trinacrias palmaris præco per oras
Palmius, Ætnæo longè violentior igni,
Arua per, & populos optandæ incendia voluet
Secum cuncta trahens superabit vasta Pelori
Culmina;supremum noscendus ad vsque Pachynum:
Mox Siculis Romam palmis remeabit onustus,
Dardaniosque sacra percellet voce Quirites.
Quid Bellarminum memorem tibi? Maximus ille
Atlas orbis erit,nutabundamque potenti
Ore manuque fidem suffulciet. hæresis hosti
Attremit assurgenti,ac multa nocte pudorem
Celat,& amissos delamentatur honores.
Huic agnata viro virtus;vnde altior illum
Roma renitentem, suffragiaque ampla timentem
Pur-

a Strada adhuc iuuenis 24 annorum Louanij magno concursu fructuque dixit,P.Petro Fabro conciones illi præparante.

Purpureos inter Patres, cætusque verendos
Adleget. Haud ideo successu læta secundo
Ambitio, fastusque comes splendentibus aulis
Efferet: Ipse suæ sortis memor, & memor æui
Labilis, optatâ senium componet in vmbra,
Ingentemque sui moriens in sæcula famam
Sparget, & ex omni præconia colliget æuo.
Mille alios proceres, cælestia classica, longus
Enumerare labor; prælustria nomina fastis
Hic inarata meis, oculis id amantibus, aude
Perlegere, & claram natorum ediscere turbam,
Quæ tibi vel calamo famam, vel voce parabit.
Haud mora, succensus venturæ prolis amore
Heros Beltramides, oculos per singula duxit
Nomina dinumerans. Illic quem Geldria partu
Ingenti gauisa dedit, qui nomine robur
Æquabit Petræ latratorisque Molossi
Officium, partesque geret vigilantior omni
Gente canum, sciet hoc felix Germania nomen,
Gaudebitque diu, pignus seruante Friburgo;
Grex lætare, lupi trepidate, [a] *Canisius* ille est.
Hic Ribadeniræ carum tibi, Loiola, nomen
Illustris scriptisque tuis, scriptisque tuorum
Indigetumque actis insignibus. æmulus illi
Posseuinus adest, genuit quem Mantua, cuique
Lustrata eximiam peperit Moscouia laudem.
Hos inter facundus erat Toletus, & acer

[a] Petrus Canisius Nouiomagi in Geldria natus, opera P. Petri Fabri in Societatem admissus, Hæreticorum Malleus & Germaniæ Apostolus dictus, obijt Friburgi apud Heluetios, 1597. vbi magno in honore est corpus eius, apud Catholicos.

Vasquius, interpres fidus Ribera, profundus
Sanchius, Emmanuel succinctus, mente Molina
Complexus leges, celsique Pererius oris,
Eloquio calamoque potens Barradius, altè
Incumbensque premensque animos Osorius; æui
Portentum, phœnixque sui, Suarezius author
Immensorum operum, cui sæcula rara dederunt
Æqualem scriptis ingentibus. Integer illic
Longæuusque senex, florentibus addita Belgis
Gloria Costerus: numero neque defuit amplo
Iustitiæ Iurisque tenax, & conditor idem
Lessius, agnatumque sibi cognomen, & æuum
Transgressus *a* Lapidum, vastis Cornelius ausis.
Indigenasque suos inter Richeomius aureô
Ore fluens, Musis carus Caussinus, & *b* Aulâ
Conspicuus, fastisque tuis, Saliane, canendus.
Nec Dionantæos illustrature penates
Hinc *c* Bonfreri aberas, neque tu *d* Præposte, pusillo
Corpore, mente gigas. Hic scintillante quadriga
Seruius e inuectus, cœlo dat lora secundo,
Cui comes ire parat, Logicæ per deuia doctus
Præmunire viam, spondensque ingentia, verùm
Præcipiti heu! nimiùm, Catuaco flente, *Philippus f*
Funere

a P. Cornelius à Lapide, celebris S. Scripturæ interpres.

b P. Nicolaus Caussinus, Aulam Sanctam, Gallicè la Cour Saincte, editione frequenti vulgauit.

c P. Iacobus Bonfrerius, patria Dionantensis, notus suis in S. Scripturam commentariis.

d P. Ioannes Præpositus, patria Atrebas scripsit in D. Thomam.

e Ioannes Haius Seruius, qui scripsit triumphum veritatis quadriga Euangelij inuectæ.

f Philippus du Trieu, Theologiæ Doctor Duaci, qui edidit Manuductionem ad Logicam.

Funere ſublatus. Latio pariterque pelaſgo
Gretſerus ſermone fluens, hic arma Luthero
Æmula cudebat, fruſtra obluctante barathro.
Multiplicesque graui reſerare volumine caſus
Gnarus ibi Laymannus erat, cui præco verendus
Suggeſtu, ſcriptiſque ferax Drexelius adſtat.
Has acies inter videas vibrantia magni
Fulmina *Scribani*, celebri ſpectanda theatro.
Hic quoque Sarmaticis lyra Sarbiuiana pruinis
Erumpebat ouans, totoque Helicone recepta
Muſa Bidermanni, piaque aſpirantis *Hugonis* a
Vota iſtic, hilareſque modos Gazæus agebat,
Grandiaque afflabat tragico Malapertius æſtu,
Et *Criſpo* b celebris vates. Quid cetera ſecter?
Longa c illic ſeries, multa quæ claruit arte
Ingeniíque dedit monumenta excelſa, legentem
Obruat, hæc aliis poſt me memoranda relinquo.
Haud modus, haud numerus ſcriptis; namq; vndiq; ſudant
Cudendis noua præla libris: nihil igneus ardor
Linquit inacceſſum, terrarum in viſcera mittit
Scrutatorem animum, fundoque latentia in imo
Promit, & aërij tranſgreſſus cærula regni
Dedala naturæ molimina matris oberrans
Ingenioſa acie cælorum opera aurea lustrat,
In nitido ſolers maculas deprendere Phœbo.
Hæc libaſſe ſat eſt, ſuſcepti carminis ordo

a Hermanni Hugonis pia deſideria.

b Bernardinus Stephonius, qui edidit Criſpum, tragœdiam inſignem.

c Extat Bibliotheca ſcriptorum Societatis IESV, à P. Alegambe edita Antuerpiæ, 1643, quam, ſi placet, Lector conſulat.

Me reuocat molliq́ue trahit prior orbita cliuo.
Postquam Beltramides oriturę stirpis honores
Edidicit, lætoq́ue expleuit lumina visu,
Tunc his æthereum dictis compellat ephæbum.
Hactenus in nostros moderator prone fauores
Magna equidem (manifesta fides) & crebra dedisti
Ardoris documenta tui: quis tanta relatu
Æquet? habes animũ memorem, æternumq́; videbis
Me iussis parêre tuis: Nunc deprecor vnum
(Si benè quid de te merui) quæ regna manipsis,
Quæ sedes habitanda meis, (Tibi namq́ue supremus
Rex aperit ventura) doce. Sic excipit Ales:
IGNATI, haud reticenda petis, sed plena laboris
Immensi, quis enim (quamquam mens ignea nobis,
Nec terreni hebetent artus, neque lingua fatiscat
Eloquio) tibi tot populos, tot regna, tot vrbes
Explicet? At ne te incassum petijsse queraris,
Expediam. Hæc fatus, grandis sub imagine sphæræ
Ante oculos, atque ora repens in nube corusca
Quatuor explicuit dissectum partibus orbem.
Tum dextram exertans, fatis sic ora reclusit.
Principio *a* *Europam* (pars fulgentissima mundi
Hæc est, ante alias hanc maiestate decora
Effulgere vides) tua gens ardore recenti
Excolet inuigilans, magna ordinis incrementa
Prospectabis ouans, Romana Præses ab arce.
Hinc sese Latias legio tua fundet in oras
Melliferum velut agmen apum, seu quà Padus ingens
Personat, Adriacum seu qua Aufidus exit in æquor,

Qua-

a Ostenditur Ignatio Soc. amplificatio per Europam. vide distinctum Catalogum Prouinciarum, domorum, Collegiorum, &c. In Imag. 1. Sæculi à PP. Flandro-Belg. edita 1640. pag. 237.

Quaque ſuas vagus Eridano communicat vndas
Ticinus, vitrea vel qua fæcundat Hetruſcos
Arnus aqua, colleſque ſonans vbi pulſat Anaſſus
Euganeos: Non præruptis amfractibus Alpes
Obſtabunt, non imbriferi caput Apennini;
Non Prochytæ fremitus, rabido non ore charybdis
Horrida, non Siculi latratrix Scylla profundi,
Non Liparæ fragor, aut tremefacta ſonoribus altis
Inarime, Ætnæiue apices, non miſſa Veſeuo
Flamma iugo. Nihil eſt, quod fortia pectora terret.
Cernet io! ſocios ripa formoſus vtraque
Duria, & albenti Bætis redimitus oliua,
Hos ditis vehet vnda Tagi, properabit Iberus
Obuius, effuſis hos Cantaber ambiet vlnis.
Huc geminas nunc flecte acies, hic Gallica regna
Aſpice, læta tuos hæc amplexata labores
Opportuna dabunt vario ſub cardine tecta,
Quà Rhodanus, qua fertur Arar, qua turbidus vndat
Sequana, piſcoſo quà labitur amne Garumna,
Quaq; Liger præceps: reliquis ſed Sequana laudes
Præripiet, gentemque tuam Pariſina ſtupebit
Regia Borbonia nixam effloreſcere dextra.
Belgica ſe quantis attollet gloria rebus
In geminas partita acies, quarum altera Moſæ
Proxima, finitimas ſtudijs præſtantibus oras
Excolet, ac gelidum procurret ad vſque Moſellam,
Aduaticoſque ſinus, nec non loca proxima Lizæ,
Oceanoque Patri. Magno circumſona Scaldi
Altera, florentes ad prælia pulchra cateruas
Eliciet, famamque mari, terraque parabit
Mattiacis quondam ſpolijs, Batauûmque trophæis
Inclyta, ſelectas tranſmittet ad æthera prædas.

Quale decus cultis addes *Antuerpia* Belgis
a IGNATI calcanda gradu. quàm nobile quondam
Iam placidâ mecum cœli statione receptus
Aspicies istic, Genuæ de marmore Templum
Surgere, & augusta Grudios accendere forma
Ornatu superante fidem. Tua turba, Sodales
Hic binas statuent sedes, variosque Brabantis
Virtutum inijcient stimulos: sed prima *Louanij* b
Fundamenta FABER dabit ordinis. æmula magnis
Exorsis, *Bruxella*, duces, quos ipsa veretur,
Hesperios imitata, tuos mox poscet alumnos,
Et *Bruga*, & regum natalibus inclyta *Ganda*,
Pòst vrbes aliæ, atque aliæ. quâ mente *Duacum*
Egregia cernes olim feruere iuuentâ,
Quam numero ingenti, gremio de diuite fundet
Belgarum, quacumque pater, lætissima tellus.
Huc Batauos Nereus, Gallos huc Sequana mittet,
Huc Tamesis, Rhenusque suos: huc Mosa frequentes
Prouehet indigenas, & proxima Sambra *Namurco*,
c Surget vbi Aduaticis ædes æquanda colossis.
Vitiferis d *Hoi* pariter de collibus ibunt
Agmina, Condrusos secum ductura colonos.
Addet ad has acies, Eburonum illustre theatrum

e *Legia*

a Ignatius studens Parisijs, egestate coactus, venit frequens in Belgium, vbi Brugas, & Antuerpiam sensit sibi liberalem.

b Louanij prima sedes Societatis in Belgio.

c Namurci illustre Templum Deo Opt. Max. & S. Ignatio Societatis IESV Fundatori erectum, ac dedicatum 1645. 28. Maij.

d Hoium, seu Huum ciuitas inter Namurcum & Leodium pari propè interuallo distans, Condrusiorum metropolis, frequentibus vineis consita, Mosa perlabente alluitur.

e Legia formatam generosa gymnade pubem.
Huc aget extremos volucris quoque fama Polonos,
f Pannoniæque decus, ripaque binominis *g* Istri
Delectos iuuenes studiis sublimibus addet.
Illa parens quondam Diuorum, ac regia nutrix
Excludet vestros malè discors *Anglia* cætus
Heu! quantum diuersa sibi! fideique Latinæ
Auersata iugum, diros meditabitur ausus,
Progeniemque suam, nimiùm Romana probantem
Imperia, & nutus, ferro vlciscetur & igni
Crudelis, non iam mater, sed iniqua nouerca.
O furor infelix *h Edmundi* nobile guttur
Magna sonaturum laqueo damnabit, & ora
Muta viri trepido spectabit corde tyrannus,
Spirantisque truci scrutabitur ilia dextra.
Ibitis ah! etiam in restes, strictasque secures
Intrepidi heroës, Garnetia nomina, sed Tu
i Henrice, albenti *Pingere cruentus aristâ.*

e Legia, siue Leodium, vrbs Eburonum nobilis, de cuius etymologia vide Histor. Leodiens. P. Bartholom. Fisen. l. 5. n. 7.

f Pannonia, id est, Hungaria, quæ duplex est, superior & inferior.

g Ister siue Danubius, celebris Austriæ fluuius; ex qua regione venerunt Duacum nobiles adolescentes.

h Edmundus Campianus celebris eloquentiâ vir, primus è Soc. in Anglia Martyr. 1581.

b Henricus Garnetus Martyr 1606 cuius miraculosa effigies apparuit post mortem, in spicâ eius sanguine cruenta. Vnde ingeniosè inuentum à P. Gualtero Paullo Huensi Soc. Nostræ viro pereruditо anagramma in illa verba:

Pater Enricus Garnetius. Pingere Cruentus Arista.

Prodigiale micans. terræ decora alta Britannæ
Quid nunc Walpolos, Sothuellos, quid tibi magni
Robur Ogilbæi, nullo expugnabile telo
Commemorem? superest comitũ inuictissimus ordo.
Dandus & his cruor est (tali sed tincta cruore
Regna reflorescent) non atri funeris horror,
Non laquei, non tela, feri neque pompa theatri
Abstrahet impauidos hac à tellure Sodales.
Diuus Amor, velut vnda, viam vel repperit, vltro
Vel facit: occulto fluet huc in schemate, IESV
Turba frequens. Quoties mira *a* Personius arte
Incurret fugietque necem, quot fingere vultus
Huic dabitur! Simulasse pium est, vbi Numinis ingens
Vrget honor, patriæque salus labentis amicam
Poscit opem. Perge ô Personi nobilis heres
Anglica gens, mentire habitus, Iesumque dolosa
Veste tegens, tutare fidem, tutare Britannos.
Hæc bona fraus; tali patria est errore tuenda.
Arte pari Socijs Batauaa regione latere
Fas erit. Ornandã rogat hanc sibi Flandria spartam.
O! tibi quàm vastos pandet Germania campos
Subsidijs firmanda tuis! Qua Rhenus, & Ister
Arua secat, Morauoque *b* Albis, notusque Boëmo
Moldaua, & Hercyniæ qua Rhetia proxima siluæ
Imminet, effusos latè numerabis alumnos,
Quantâ, cæsareis longum celebranda triumphis

Illinc-

a Robertus Personius, socius, & Superior P. Campiani in prima missione Anglicana.

b Albis Fluuius, ortus ex montibus, qui Morauiam à Bohemia diuidunt, magnam Bohemiæ partem irrigat, & infra Pragam Moldauæ Fluuio Bohemis celebri iungitur.

Illinc *a* Praga triurbs, Austro hinc agnata *b* Vienna
Stirpe tua genitos sustollet voce nepotes,
Austriadas inter sceptroque, aquilaque potentes
Romulea, eximius fautorque Parensque tuorum
(Dilectum superis hunc demirabere posthac)
FERDINANDVS erit, nomen sub pectore serua;
Illius laudes nulla sub nube vetustas
Occulet, in nostris memorabitur hic quoque fastis.
Post tibi deuinctam laudati Cæsaris aulam
Boiorum venerare Duces: ab origine tanta
In socios sors læta fluet, nec larga bonorum
Desinet vbertas *c* *Monachi*, nisi struxerit ædes
Ditibus expensis, Bauarasque armauerit oras
Stirpe tua; longeque sitos in margine Rheni
Ornarit stabiles Vbiorum in luce Sodales.
Scilicet hinc ortas augusta *Colonia moles*
Tendere in aërias audaci vertice nubes
Cernet, & illustri templum memorabile forma.
Hoc Rhenus laudabit opus, dux Noricus illi
Materiam, pretiumque dabit. Nec prodigus istic

a Praga sua magnitudine tres veluti vrbes complectitur. Veterem, Nouam, & quam vocant Paruam, à prioribus Moldauâ disiunctam.

b Vienna vrbs maximè illustris in Austriâ, ab Austri flatu, qui in ista regione frequens est, (vt aliqui volunt) sic nominata.

c Monachium vrbs præcipua Bauariæ, ad ripam Isaræ sita, & Ducum sedes.

d Liberalitate Serenissimi Electoris, ac Ducis Bauariæ Maximiliani illustre Templum excitatum est Coloniæ, & vsibus aptatum sacris an. 1629.

Stabit amor, patria profugos (ô digna relatu
Gratia) *b Legiaca* collectos vrbe Britannos
Militiam IESV, nomenque, fidemque professos,
Atque ideò extorres, animisque opibusque fouebit:
Vsque adeò in miseram prona est clementia sortem.
Quà iacet horrentẽ Rhodope glacialis ad Arcton
Sarmaticasque immane sonans perlabitur oras
c Vistula, Parrhasij neglecto frigore cœli
IGNATI, tua turba sacris feruoribus icta
Ibit, & Odrysias mitescere sentiet iras,
Atque pharetratos submittere tela Gelonos.
Iam gratare, tuos *d* Cracouia læta maniplos
Excipiet; studioque pari *e* Posnania pandet
Brachia; & ad primos resonabit *f* Vilna triumphos:
Inde suos hilaris latè Lithuania plausus
Proferet, & doctis tribuet noua rura colonis.
O! nisi Threiciæ prohiberent cornua lunæ
Progeniem vestram gremio telluris opimæ
Hungarus, Ausonijs auidus certare palæstris
Proliceret *g* Budamque tibi, lætosque feracis
Strigonij campos cuperet præbere colendos,
ByzantI, sed regna vetant: si qua impia tela
Ruperit vrbs felix, vestras condiscere leges
Gliscet; & vndanti regio vicina *h* Tibisco
Affluet, ac Latijs Tyrnauia seruiet armis.
Quid! quod & ad placidos se Transiluania mores
Effinget,

b Idem Leodij PP. Anglis Soc. singulariter fauet.
c Fluuius Poloniæ qui in mare Balticum euoluitur.
d Vrbs est primaria Poloniæ, iuxta Vistulam fluuium sita.
e Vrbs etiam in Polonia.
f Vilna vrbs Lithuaniæ caput.
g Buda vrbs Hungariæ citerioris caput, & regni sedes.
h Tibiscus, fluuius est, qui vlteriorem Hungariã, mediam interfluit, vbi & Tirnauia ciuitas.

Effinget, natoſque tuos venerabitur Alba ᵃ
Iulia; nec veſtrum genus excepiſſe pigebit
Illyricos fines, Tergeſtinoſque receſſus.
Has aliaſque dabit ſedes *Europa*, quid orbis
Aſſignet reliquus, celeri luſtrabimus ala.
b Nec noua puniceo pingemus nubila gyro.
Ante tamen regimenq; tuum, ſeriemque ſequentum
Accipe ductorum, quos prima verebitur ætas.
Fruſtra obluctatus titulis, Tu prima capeſſes
Imperia, & Phœbo ſocios ſub vtroque videbis
Iam ſenior; bis ſena tuos Prouincia faſces
Prona colet, centumque adeò mirabere ſedes
Auſpiciis creuiſſe tuis: cùm feſſa ſenectus
Et felix patrio te mors adſcribet olympo,
Ne titubet magno vacuus moderamine currus,
Lainius ſucceſſor erit, licet vſque repugnet,
Seque oneri neget eſſe parem, tamen ordine Diuum
Cedet, & excelſis auriga admotus habenis
Monſtratum calcabit iter, reget ille capaci
Frena manu, campoque volans excurret aperto,
Atque alacres ſociorum animos ſublimibus actis
Eriget, haud opus hic fuerit ſtimuliſque miniſque;
Sponte Ducem tantum pubes animoſa ſequetur.
Intempeſtiuo ſublatum hunc funere planget
Roma, genuſque tuum: ſed rapti damna rependet
c *Borgia*, Lombaiæ moderator nuperus aulæ,
Hic Catalauniacos faſces, proauitaque regum
Stemmata, & heroæ monumenta illuſtria gentis
Gandiacæ, felix periuri transfuga mundi,

D 7 Inſtinctu

a Tranſiluania olim Daciæ pars, eius caput Alba Iulia.
b Ideo hoc dicit quia inceperat declarare Europæ Prouincias per Sphæram in nube efformatam: Qua omiſſa alium orbem luſtrant. c Fuit Eterno. Borgia, &c.

Instinctu meliore premet, Ductoris IESV
Assecla, non timidis tua per vestigia tendet
Passibus; huic medio flagrantem lampada cursu
Lainius dabit emoriens: non segniter ille
Proferet. ô quantam de vertice Vaticano
Ostendes, FRANCISCE, facem! lux ipse futurus
Orbis, & astriferos inter numeraberis ignes.
Sic trabeas titulosque ducum, cerasque parentum
Profuerit spreuisse tibi, maiore triumpho
Calcatas spectabis opes: Tibi Gandia numquam
Culta daret tantum, quantum despecta reponet.
Vos hunc vos Socii memores solemnibus aris
Tollite, & vnanimi certatim ambite precatu.
Quem tibi nunc Loiola dabo? qui calle priorum
Egregius sectator eat, teneatque curûles
Haud humilis sessor, memorandis æmulus ausis,
Nec præcedentûm lauros, palmasque recentes
Deterat? amoris procul hic quærendus in oris,
Nempe ARDENNATES inter, saltusq; profundos
Solis inaspectos radiis, vbi rarus oberrat
Fossor, & abruptis stant fixa mapalia saxis;
a Mercurii iuxta scopulos, Vrtamque tumentem
Imbribus, & multa saturum niue, prata secantem,
Emerges tandem patriis, *Eurarde*, tenebris
Romuleum visure diem, quo clarus IESV
Agmina ductor agas, & prælia digna tonante
Instituas, studiis & mercurialibus omnes

Omne

a Gallice Marcour, pagus in Ardenna, iuxta Vrtam fluuium, vnde cognomen traxit Pater Mercurianus IV. Generalis.

Omne ſodalitium; ſelectaque pectora pugnæ
Nata, peregrinos mittas bellator in orbes
Strenuus. Ah! nisi te curarum aſperrima moles
Frangeret, & regimen vix ſeptima tolleret æſtas,
Prô! qualis quantuſq; fores! tibi *a Marchia* certe,
Marchia, ſubmiſſam latè complexa Famennam,
Et nemorum regina, iugis Ardenna ſupinis,
Æternum gratata, tuos venerabitur ortus;
Exiguoſque noua fulgentes luce penates
Mercurii, & *b* Rochæ cernens de vertice Paſtor,
Illius in laudes totas conſumet auenas.

At nunc Auſoniæ tractus, arceſque petamus
Parthenopes, *c* illic auguſti ad limina tecti,
Spiranteſque lacus, viuaque ab origine lymphas,
Plauſibus immodicis ingens erumpet alumnus
In lucem, nil lucis egens, namque aureus illi
Sanguis auum, celſumque genus: Virtute ſed alta
Ipſe ſuos prægreſſus auos, quas cæca prehenſat
Ambitio, ridebit opes, dominaſque ſecures,
Et formidandas proprio fulgore tiaras.
Sic IESV ſectator inops, ingentia rebus
Incrementa tuis dabit, & florente ſub æuo
Iam celebris, vacuos *Eurardi* funere currus
(Sors bona) ter denis moderabitur amplius annis,
Ille canenda geret, Sociiſque exempla parabit
Reſponſura tuis, Tuque agnoſceris in illo.
Acta manum inuenient. Hic verbo maximus, ille eſt
Claudius,

a Marchia vrbs præcipua Famennæ, in ducatu Luxemburgico, a quâ non procul diſtat Pagus P. Mercuriani.
b Gallicè la Roche, ita vocatur ab Ortelio.
c V. Generalis Claudius Aquauiua, Neapol. ex familia illuſtri.

Claudius, æternæ fons fœcundissimus vndæ.
Pòst æquandus huic tractandas sumet habenas
a *Mutius*, a priscis nomen memorabile seclis,
Ille quater lapsis postquam quinquennia lustris
Rexerit admissas, Roma gratante, quadrigas;
Insignem centum completis orbibus annum
Pandet, inexpletum gaudens, canaque senecta
Integer, (*Vrbanus* Pater hoc ex arce supremâ
Annuet, & rubei plaudent capita alta Senatus)
Vndique solemnes sociis indicet honores.
Quale nihil neque turba prior, neque sole sub vllo
Victura aspiciet. Felix cui sæcula prima
Condere, & ætatis cursum instaurare secundæ
Prona renidentis dedit indulgentia cæli.
Tu meritò (nisi vana forent ridendaque vatum
Commenta) in geminum prospectans longius æuum
Vitellesce, bifrons tunc posses Ianus haberi:
Attamen antiqui ne dedignare Noëmi
Nomen, & oppresso vitiis vndantibus orbe
Dirige sollicitam, per monstra natantia, puppim.
Non deerit Cynosura tibi, non lucida ponti
Sidera; vesani domitrix Regina profundi
Stella Maris, MARIA, suo sub nomine sternet
Æquor, & emotos coget subsidere fluctus.
Naufragus Oebalios non obtestabere fratres,
(Cedite futilium procul hinc portenta Deorum)
Certius & ficto fulgentius igne Laconum
Astrorum par grande dabo, quæ rebus in arctis
Implo-

a Sub Mutio Generali VI. & Vrbano VIII. celebratum est Iubilæum siue annus sæcularis Societatis, id est, ab eius confirmatione centesimus, qui fuit huius sæculi 1640.

Implorata, viam rutilo ſplendore per vndas
Expedient, placidaque ratem ſtatione locabunt.
Aſpice, hyperboreis elata cubilibus, altè
Sarmaticas lux quanta plagas beat! inclytus ille
a *Staneſilaus* erit, *Koſtkarum* gloria, magnis
Ille quidem proauis clarus, ſed ſtemmate IESV
Clarior, innumeras trahet in tua ſigna cohortes
Grandibus exemplis. Puer ô puer auree, ſummis
Cælitibus dilecte, polo quem lapſa micanti
Barbara, pennigeris circumſtipata miniſtris
Viſet, & ætherea delatum ſumere dextra
Immortale epulum dabit, exultantibus aſtris.
Hunc adeò è celſi ſpeculata cacumine mundi
Virgo Parens, tantæ virtutis amoribus icta
Deliciaſque ſuas, & amabile pignus, IESVM
Complexu in tenero longum indulgebit habendum.
Nec ſatis hoc; exoſa moras (amor vrget amantes)
Tam cari capitis, decerptum pollice molli
Hunc illibatæ floremque decuſque iuuentæ
(Dum calor æſtiuus ſupero certabit amori)
Colliget, & campos (pulchra ô ſolatia lethi!)
Ducet ad æthereos, ſemperque virentibus hortis
Inſeret, æterni perfuſum nectaris hauſtu.
Lumina *a* Lechiacis ſed iam referamus ab aruis,
b Minciadumque oras, *c* Benacique humida iuxta
Oſtia, ſurgentem ſpectemus ad æthera flammam.
Hic *Gonzagarum* priſco de ſanguine cretus,
Hic erit ingenui ſpirans candoris imago,

Virgi-

a Polonicis, à Lecho Polonorum auctore.
b Per fluuium Mincium, qui ex Benaco lacu fluens, Mantuam iuxta labitur. intellige, Aloyſium fuiſſe ex familia Ducum Mantuanorum.
c Benacus. Lacus eſt prope Caſtilionem.

Virgineum si nomen amas, *Aloysius* hic est,
Magnum aliquid iam de tenero meditabitur vngui
Nobilior virtute sua, quam stirpe, seuerus
Corporis innocui domitor, sibi bella mouebit
Et puer, & iuuenis iam formidabilis orco,
Ille palatinos fastus, atque aurea rumpens
Vincula, maternosque sinus, & dura parentis
Imperia exosus, dedignatu que teneri
Vlterius, roseæ sacrabit verna iuuentæ
Tempora, Militiæ IESV. Iam plaudere fas est
Victor io! bellator io! Tu monstra giganti
Caste puer metuenda domas, nec in ignibus ardes,
Quis, Gonzaga tibi Cyprijs imperuia telis
Pectora, & illæsam; flamma grassante, pudoris
Posse dedit seruare niuem? Tibi scilicet idem
Tutator custosque fuit, qui gentis auitæ
Magnaminos Iuuenes, rapidis fornacibus haustos
Iuuit, & Assyrias docuit mitescere prunas
Sub pedibus, circumque comas sine vulnere pasci,
Ipse Deus, Deus ipse tibi, Lodoice, minaces
Extinxit furias, cæcique cupidinis arcus
(In tenero ne quid peccaret corde sagitta),
Fregit, & infandæ consumpsit tela pharetræ.
Hinc merito (prima hic exordia militis huius)
Virgineos ausus a Florentia, Mantua palmas,
Ardua Castilio certamina, Roma triumphos,
b Angelicique decus Iuuenis, roseumque pudorem
Haud tenui canet eloquio, vix ordine quinas

Ducet

a Aloysius octo circiter annorum, vouit Virginitatem Florentiæ, ante imaginem B. Virg. Annunciatæ.

b Dictus est, Angelicus Iuuenis, à Gregorio XV. diplomate expresso an. 1621.

Ducet Olympiadas, cum iam donandus olympo,
Atque aris erit ille, vocabitur vndique votis.
An satis hæc Loiola tibi? num plura reposcis
Lumina? venturos illustratura Sodales?
Eia age Belgiacis (huc aspice) nascitur oris
Aurea lux, humili primum se tollit in auras
Vertice, dissimulatque suæ primordia famæ.
Mox patriæ fines, & Acuto proxima colli
Arua a Diestemij, Brabantinasque palæstras
Despiciens, summo sese altius Apennino
Exeret, Ausoniamque ibit sublimis in vrbem.
Hic illum à strepitu curarum, arcana colentem
Otia, cygnæis purum super æthera pennis
Intemeratorum niueum vehet agmen amorum.
Hic septemgemini (moriens) fulgebit ab omni
Parte iugi. *Berchmannus* is est: date serta merenti
Romulidæ, stipare rosis; date lilia Belgæ,
Et lacrymas: dono puer hic cumulandus vtroque.
Roma, tuum decus ille, tuum quoque Belgica tellus
Occidit! heu! tali pro pignore iusta mouete
Prælia, b *Cor* Belgis debetur, cetera *Romæ*.
Egregii iuuenes, generosæ sidera gentis
Quonam me rapitis? quo tandem carmine dignam
Quaue lyra vestris famam virtutibus addam?
Estis io! æterni. non vos cælestia frustra
Idocuit, facibusque suis succendit IESVS,

Et

a Diestemium Brabantiæ oppidum, in quo natus Berchman qui Mechliniæ in Societatem admissus 1616 absoluto tirocinio, Romam ad studia Philosophica missus, vbi annos 22. natus obiit magna sanctitatis opinione, 1621.
b Cor Ioannis Berchman, præcipuum scilicet eius pignus, relatum est in Belgium. 1622.

Et ſuperi Regina chori : nunc ite per orbem
Conſpicui factis, indiſcretique beatis
Sedibus; Exilij ſed vos miſereſcite noſtri.
Interea Batauas refluet dum *a* Scaldis in vndas,
Donec Sarmaticas pleno bibet ore pruinas
Viſtula, Benacique ingens erumpet ab antris
Mincius, & flauas euoluet Tybris arenas,
Inclyta cum noſtris durabunt nomina Muſis.

a Per Scaldim fluuium in Belgio celebrem, intellige æternam Berchmanni memoriam fore Per Viſtulam flumen Poloniæ, B. Staniſlai: per Benacum & Mincium B. Aloyſij : per Tybrim fluuium Italiæ, Romam influentem, horum trium piam vitam ac mortem Romæ ſanctè obitam.

Finis Libri Secundi.



ARGVMENTVM LIBRI TERTII.



Omprehenduntur hoc libro ea, quæ Societas generosè tentauit effecitq; in Asia, atque India Orientali, cura ac labore S. FRANCISCI XAVERII, cuius opera præstantiora in noui orbis reductione, ac præcipuè in Iaponia ad fidei lumen adducenda describuntur: Quibus interseruntur Gasparis Barzæi, & Antonij Criminalis encomia. Adduntur noui postmodum persecutione sæuiente in Iaponia Martyres. Tentatus demum ac apertus per nostros in Sinarum Regnum aditus. Atque hæc breuiter dicta sunto.

Verùm quia hic liber in S. Xauerij Indicis itineribus, laboribusq; pro fidei dilatatione, animarumq; salute maxima ex parte consumitur; operæ pretium duxi, viri illius Apostolici compendiosam itinerum seriem, ob oculos Lectoris subijcere. Si quis erit, cui hoc aut tædiosum, aut superuacaneum videatur, omittat. Neminem cogo: hominem Te, mi lector, liberum natum scio. Ego vero hoc, & rei perspicuitati, & excellentis viri Sanctitati,

atque

atq; incredibili in rebus pro Dei gloria suscipiendis exequendisq; celeritati, vno veluti oculi coniectu peruidenda tribuendum existimo. Quare hanc breuem Synopsim appendo.

S. Franciscus Xauerius, potissimus S. IGNATII socius, diuino planè consilio destinatus Indiarum Apostolus, post varios Romæ, Bononiæ, Venetijs alijsq; Italiæ locis labores pro salute proximorum exantlatos: anno 1540. cum Petro Mascarena, Ioannis tertij Lusitaniæ Regis legato, Roma excedit, in Lusitaniam proficiscitur, & peragrata Hispania, Olyßipponem, vrbem regiam, Lusitaniæ totius maximam, Tago fluuio, & rerum Indicarum commercio celeberrimam feliciter peruenit: vbi exiguo tempore, vniuersam Lusitaniam ingenti virtutum fama latè peruagante Apostoli nomen obtinuit.

Inde 1541. 6. April. nullo alio viatico quàm Dei fiducia instructus in Indiam soluit, ac circumuectus mare Atlanticum, Promontoriũ Bonæ Spei, Mozambicum, Melindam, Socotoram Insulam, ac præterea Arabiæ & Persidis oram, tandem anno 1542. 6. Maij. Goam egregiam Indiæ vrbem applicat, confectis quatuor leucarum millibus, & amplius, summis laboribus, periculisq; perfunctus.

Vbi aliquamdiu commoratus, mox Comorinum

Pro-

Promontorium, & oram Piscariam percurrit. Deinde regnum Trauancoris, Ceilanum, Meliaporam vrbem S. Thomæ sepulchro nobilem, Malacam, Amboinum, Molucas insulas, Mauricam, incredibili ardore, fructuq; peruadit. Demum Iaponiæ Christo conciliandæ vehementi studio incensus, anno 1548. 24. Iunij, nauigationem Iaponicam aggreditur, & ipso Assumptioni B. Virginis sacro die Deo, ac Dei parente obsecundante, ad vrbem Cangoximã appellitur: vbi primũ, ac deinde in vrbe Firandi, & Amãgucij: ac postmodũ in regnis Figueni, & Bungi, Christi Euangelium prædicat tanto vbiq; successu, vt meritò Iaponiæ sit dictus Apostolus.

Latißimum S. XAVERII pectus, ad vlteriores Sinarum labores aspirabat; & in vastißimi illius regni claustra penetrare, Christiq; fidem inferre omni ratione tentabat: Verùm Deo aliter visum, qui eius glorioso conatu contentus, maluit homini laboriosissimo veterum potius laborum præmia persoluere, quàm aditum ad nouos aperire. Quare in Sanciana Insula, in noua petendi portus Cantonij cura occupatus, Euangelio, & Societate, toto penè Oriente disseminatis excesßit anno 1552. natus annos circiter 55. post suum in Indiam aduentum decennio iam expleto. Vide Tursellinum, qui omnem S. XAVERII vitam egregiè perscripsit.

Aduerte,

Aduerte, benigne Lector, esse plurima in hoc 3. Libro de S. XAVERIO, *quæ effero in præterito quasi iam facta, cùm tamen ea post complures annos essent euentura: sed hoc Poëtis seu vatibus fa-cilè concedendum videtur, qui quadam veluti prophetarum licentia, in omne se tempus extendunt.*

DE RAPTV MANRESANO S. IGNATII DE LOIOLA FVNDATORIS SOC. IESV

LIBER III.

HActenus ingentes variarum ambage viarum
Vidimus *Europæ* tractu[illegible]abitandaque latè
Mænia, selectis IESV sub præside turmis,
Virtutesque virûm, & studia, & constantia magnis
Orsa animis, veteres heroum æquantia laudes.
Et benè: nunc alijs mihi vestiganda sub astris
Regna manent, quæ sol gemino sub cardine lustrat.
Vltra Asiæ fines, Libyæque furentis arenas,
Caucaseasque hyemes, indignantisque procellas
Æquoris, & sparsas per cærula vasta Molucas *a*
b Malacamque, Goamque super; finesque *c* Tibethi
Extremosque hominum Iaponas & inhospita Sinæ
Claustra ferar. Tu, tu ô superi spiraminis ingens

a Molucæ variæ sunt Insulæ in Mari Indico, quarum Maxima Ternate. Tursel.l.3.c.1.

b Malaca vrbs nobilis & copiosa, vltra Gangem, in aurea Chersoneso sita.

c Tibet, seu Cathaiæ regnum

Aura faue, viuisque fibras afflatibus imple,
Da Tanaim Tigrimq; mihi, & quodcumq; repostũ est
XAVERIO præeunte sequi; freta longa subire
Est animus, magnis memet dignare periclis.
Est aliquid socium claris heroibus addi,
Et pariter pulchri consortia quærere fati.
Sic, vbi bella vocant, martemque accendere cœpit
Buccina, magnanimo gestit comes ire parenti
Turba minor, poscit gladios, galeamque comantem,
Telaque, & imbellem clypeis fulgentibus audet
Insertare manum, seseque ostentat in armis
Nil metuens, dum signa procul, dum longius æris
Auditur fragor, atque absens contemnitur hostis.
Hæc ego dum verso, lethique animosa voluntas
Insuetas tentare vias iubet, insuper ingens
Vrget fama viri, Romanas aliger arces
Linquit, & Hesperias vultus detorquet ad vndas,
Auriferumque Tagum *a* Lusique à nomine dicta
Regna, suo comiti celeri lustranda volatu
Monstrat, &, En, inquit sublimibus ardua tectis
Claret *b* Vlyssippo, magnum hæc è gente Nauarra
Heroa accipiet, lætumque per æquora mittet
XAVERIVM, Eois sidus spectabile terris.
Quantum ô telluris, quantum cognoscere cœli
Huic dabitur, quales pelagus reserabit in vsus!
Non Arabum gazæ, non aurea *c* Chersonesus,
Gemmifero non ora sinu, non futile Phryxi

Vel-

a Lusitania, à Luso, (iuxta Plin. l. 3. c. 11.) dicta, hodie Portugallia.

b Hodie Lisbona dicitur, Lusitaniæ metropolis vnde in Indiam orientalem soluit B. Xauerius 1541.

c Peninsula est, trans Indiam, Flumenque Gangem quæ ad insulam Somatram, auri fodinis celeberrimam procurrit.

Vellus,& Æſonia quondam quæſita carina
Fama breuis,ſtimulant FRANCISCI pectus in orbes
Ire nouos. Tu ſola virum diuina perures
Gloria; te Gangem ſupra proſpectat & Indum
Iaponiæ in ripa ſtantem,ſocioſque vocantem
Mille tubis. Mora nulla,volat volat æquore toto
Roboris inuicti XAVERIVS: illius æſtus
Cæleſteſque faces,non debacchantis Enipei
Horrida tempeſtas,non vaſtis obruat vndis
Oceanus,non Oceanum ſuper omnibus æther
Imbribus incumbens; medio de turbine rerum
Exeret euicto caput immerſabile ponto.
Longum iter ad Sinas,præduri plena laboris
Cuncta equidem cerno,ſed enim mens enthea duris
Gaudet, & immanes,animoſi more leonis
Ærumnas,ceu monſtra premit vincitque ferendo.
Soluet *a* Vlyſſæis vbi portubus ardua claſſis
Grande proceloſo deportatura profundo
Depoſitum, quales extrema per oſcula planctus!
Quæ lacrymæ! ô quantis reſonabunt littora votis!
Ite animæ ingentes. Fremebundæ Tethyos iras
Exuperate alacres, ventiſque ferentibus vſi
Æoliam rabiem, nimboſque, hyemeſque ſonoras
Vincite,& immenſum præda Gangetide læti
Incolumes patrijs proras aduertite ripis.
Tu tamen ante omnes caræ tutela carinæ
I celer î FRANCISCE, manus tibi tendit anhelas
India,& albentes aperit *b* Iapania campos,

a Lsibona, hanc enim aliqui volunt ab Vlyſſe conditam, Vlijſſipponam dictam.
b Quæ nunc Iaponia dicta aliàs Iapania.

I decus Auroræ, tenebraſque oriente ſub ipſo
Eſſe doce, fideique iubar mirantibus infer
Gentibus, atq; nouũ, quem non timuere, Tonantem
I felix, Victorque redi, raptaſque barathro
Exuuias, Indorum animas, diffractaque paſſim
Omnigenûm portenta Deûm, ſimulacraque viſu
Horrida, & emenſi peregrina pericula ponti
Hic circumfuſis populis narrare memento.
Has inter voces, & reſponſantia fauſtis
Æquora carminibus. Felix ratis ibit in altum
Franciſco ſecura ſuo, viſura vetuſtos
a Heſperidum campos, Atlantæique procellas
Euaſura maris b Mozambicoque potita
Feſſa peroptato componet carbaſa portu.
Dum moror his, en arua ſuper Neptunia, præpes
Nuncius, intrepidum comitem rapit: ille refuſum
Sub pedibus mugire fretum, atque immania cete,
Veliferaſque rates, & formidata carinis
Saxa, vrbeſque procul, rigidoque horrentia dorſo
Et promontoria, & ſcopulos, & commoda nautis
Littora demirans raptim aſpicit. Inde Melinda
Linquitur, & ſterili neglecta Socotora tractu:
Hinc fortunatos Nabathæi ruris alumnos
Perſidaque, & dites Erythræi marmoris oras
Præterit, hinc geminos Scythicis è montibus amnes
Gemmi-

a In mari Atlantico, quod oram Africæ alluit, variæ ſunt Inſulæ, inter has Fortunatæ, vulgo Canariæ, quas ob loci amœnitatem Hortos Heſperidum vocant.

b Mozambicus, inſula eſt, vltra promontorium bonæ ſpei in Africæ ora ad ſolis ortum vergente, in qua duo ſunt oppida, Luſitanorum & Saracenorum.

Gemmiferos amnes *c* Gangemq; Indumq; relinquit,
Attamen hic celeres cursus vtriusque morata est
Visa caput liquidis *d* *Armuzia* tollere ab vndis
Grandibus infusum lacrymis, ac murmure mæsto
Hæc audita queri. Tu qui stellantia nutu
Regna quatis, fluidasque sali moderaris habenas,
Quique vrbes, orbemque oculis curcumspicis æquis,
Aspice me, & nostris tumidum mare fletibus, altus
Quos dolor expressit: Tua me tua gloria, rerum
Summe sator, calcata mouet, iam templa pudendos
Admisere deos, nulla est sine cornibus ara.
Impius (heu clari solis pudor!) impius ille
Irrisor superum *e* Mahomet, mea mænia fœdis
Ritibus, & monstris *f* Mecano è littore vectis
Inquinat, & totas trahit in noua crimina gentes.
Cernis? auernales popa supplex inuocat amnes
Raucum aliquid frendens atque execrabile retro
Carmen agens, ipsas metuit, quas obsecrat, vmbras.
Iam scelus est coluisse Deum; procul alma recessit
Relligio, diuumque metus, fas omne sub hasta.
Hei mihi! quid prodest populi quod honoribus aucta
Vndarum regina vocer, quod cardine ab omni
Huc orbis vectentur opes, quod Achæmenis hospes,
Quod pictus me visat Arabs, pinguesque Sabæi.
Quid mihi diuitiæ, vitijs si pressa fatisco

c Ganges, & Indus, duo sunt ingentes Indiæ fluuij, ex Scythiæ montibus profluentes; & ab Indo flumine, maxima Asiæ regio India appellata est.

d Armuzia, vrbs est celebris in faucibus sinus Persici, quò à S. Xauerio destinatus Gaspar Barzæus.

e Mahomet auctor impurissimæ sectæ, Armuziæ à Saracenis summa religione colebatur.

f Meca vrbs execrando Mahometis sepulcro famosa.

In cladem fæcunda meam; præstaret egenas
Insedisse plagas, tristesque videre pruinas
Threiciam iuxta Rhodopen; Phasimque niualem,
Ipsa situs fortuna nocet; cum mercibus intrat
Huc scelus, & tyrio vitia occultantur in ostro.
Ergo agedum supreme parens, vel crimina tolle,
Vel merces disperde mari: Iustissima tales
Causa ciet questus; Tua a Vindex, nupera terrent
Fulmina, & immissæ per viscera nostra fauillæ
Sensi equidem, terrorque manet, lamentaque vocem
Præpediunt, flammas non emendata secundas
Nunc metuo, meruique iterum; sed lenius, oro
Vtere fulmineis, quorum tibi copia, telis,
Et sortem miserare meam, votisque petitum
Mille, Virum (si fortè virum fert vltima tellus)
Mitte aliquem, qui damna leuet, qui crimina tollat,
Qui malè direptos superis instauret honores.
Vix hæc ediderat gemitu incidente querelas,
Iam dudum mœstis *Armuzia* casibus icta;
Cum super oceani fluctus spectabilis ales
His desolatam demulcet vocibus vrbem.
Mitte queri, longis quod suspiratibus optas
Auxilium dabitur: Batauis b *Barzæus* ab oris
Adueniet, qui monstra domet, ritusque nefandos
Auferat, & vultu mores meliore refingat,
Ille tibi nunc arma parat, Grudiaque palæstra
Instruitur, curasque graues, animosque viriles
Induit: hic patriæ linquens vicina Goëzæ
Littora,

a Aliàs illa regio, sulphuratis ignibus, quos è suis gignit visceribus, conflagrauit.

b Gaspar Barzæus, in Zelandia, oppido Goëza natus, in Indiam destinatus anno 1548.

Littora, & Aduaticas puppes, remosque secutus
Vincet Erythræum velis gentilibus æquor,
XAVERIO monstrante viam (tibi namque videndum
XAVERIVM *a* Nauarra dabit, qui nomen IESV
Gentibus Eois latè inuehet (illius ergo
Nomen ama, celeresque auras, cursusque secundos
Barzæo (si læta placet fortuna) precare.
Audijt hæc, sensimque genas, oculosque madentes
Detersit niueo gauisa Armuzia peplo,
Et simul illustri signantem nubila gyro
Aligerum per inane tuens, hac voce secuta est:
Sis bonus ô felixque mihi, quicumque per auras
Excelsum moliris iter, lumenque recedens
Purpureum nostris iacis implorabile terris,
Quam modo dicta placent! tantũ da pondera dictis,
Præcipitaque moras. Spes longa fatigat amantem.
Hæc inter dux alipotens radiantia flexit
Ora procul, tenuique dein se immiscuit auræ.
Iamque propinquabant aruis, vbi discolor Indus
Haud timidè ardentes nudo pede calcat arenas
Diues vbi Eôo latè circumsona ponto
Porrigitur *b* Goa, quæ gemini commercia mundi
Sustinet, atque auidi famam dum colligit orbis,
Vndat equis feruetque viris: fæcunda bonorum
Nempe foret felixque, sui si nosceret vnum
Auctorem fontemque boni: sed nescia summi

a Franciscus Xauerius natus in ea parte Nauarræ quæ ad Hispaniam vergit, sub Pyrenæi montis radicibus, in castello Xauerio, vnde cognomen accepit.

b Goa Indiæ caput, vrbs est in Insula eiusdem nominis, ferme è regione sinus Persici posita, ab Indi fluminis ostijs millia passuum cititer ccc. venit eo Xauerius anno 1542, & depranatos vrbis mores correxit.

Numinis, indignos fœdis largitur honores
Mânibus, & stygijs monstra efformata caminis
Quæ metus est vidisse, colit. Quid crimina gentis
Exequar? huc inuicte pugil, FRANCISCE, vocaris;
Hic lernæa palus, hic dira repullulat hydra,
Relligio infelix incautis gentibus afflat
Exitium, orciniq́ue nocens furit igne veneni.
Alciden labor iste nouum deposcit, in istum
Tende agedum campum XAVERI; hic bella valenti
Digna Viro; Tu tu (neque me sententia fallet)
Tartaream exscindes, animosior Hercule, pestem.
Hæc me inclamantem pernicibus igneus alis
Anteuolat genius, genioq́ue adiunctus Achates
Cantaber, & fulua caligine septus vterque
Per populos, perq́; arua meant; spectare propinquam
Ardet amans Loiola Goam, fructusq́ue legendos
Noscere, & egregias XAVERI ediscere laudes.
Ingens vrbe fuit media, seclusus ab omni
Bacchantûm clamore locus, quem plurima circum
Arbor, & vmbrosum scena viridante theatrum.
Hæc statio Musis aptissima. Nuncius ales
Huc per densa rapit populorum examina lætum
Loiolidem, monstratque viros, & strata viarum,
Tectaque, & inferno delubra heu! sacra tyranno.
At, dum nube caua cœtus gradiuntur amicti
Per medios, tenuit feralis pompa volantes,
Ecce tibi (horrendum dictu) illætabile monstrum
Atrum, immane, ferox, mera caligantis auerni
Effigies, vastam turba exultante per vrbem
Deuehitur, circum resonant thyasiq́ue choriq́ue,
Carminaque, & litui: quin circumfusa iuuentus
Sistra quatit, cultroq́ue artus incidit acuto
(Mon-

(Monstri tantus honor) lymphata mente sacerdos.
Tum Loiola acri perculsus corda dolore
Constitit illacrymans: heu quis furor, inquit, alumne
Ætheris, illusas rapit in sua vulnera gentes?
Non erat ergo satis (Factum auersantibus astris)
Tartareum celebri monstrum deducere pompa,
Huic adolere focos, & odori thuris acerram,
Festiuasque dapes, nisi se stimulata flagellis
Eumenidum, propria gens effera cæde cruentet?
Siste insana cohors, alios seruandus in vsus
Ille cruor; certè melioribus hostia diuis
Si nosses, libanda fuit. Sic fatus, auebat
Indignans Loiola, frementem irrumpere turbam
Disturbare choros, monstroque haud debita sacra,
Sed vetuit comes æthereus, Sine, dixit, & ista
Nos eadem tecum, Numenque iniuria tangit,
Dissimulat tamen, & promptas erumpere flammas
Continet, aduersus nimirum vltricia tela
Xauerium properare videt, qui ritè Goanam
Expurgabit humum, simulacraque fœda, nigranti
Cum Ioue, cumque aris, rapidum deuoluet in æquor,
Si tibi tam longæ maneat pars vltima vitæ
Et rursum spectare Goam concedat olympus,
Quantum ô mutatæ faciem miraberis Vrbis,
Quantus vbique nitor templis, quam splendidus aras
Illustrabit onyx! & iaspide subter eôa
Diues humus, nitidos admittet ad oscula vultus
Suspicies rutilum celsis laquearibus aurum
Non malè stellantes cœlorum æquare pyropos,
Aurea in effigies diuorum massa liquescet,
Mole sua, pretioque, sacros auctura penates.
Monstriferi procul ora Dei diffracta videbis,

Auulsumque humeris caput, & sine numine truncum
Obiectum sannis popularibus: Altus vbique
Horror erit barathri, desuetaque corda subibit
Relligio, scelerumque timor, cultusque Tonantis.
Mox probitas, mox alma fides, moresque pudici
Damnatæque diu emerget pietatis imago.
Hoc labor, hoc *Francisce*, tuus (licet improba con-
Barbaries, dentemq; acuens ringatur Auernus) (tra
Efficiet, vigilesque Deo pro principe curæ,
Flagrantesque preces. Hæc inter verba cupitos
Deuenere locos, & regna accommoda Musis.
Hinc comitē amplexus, nec non loca proxima signans,
Ales ait, viden' hæc viridaria læta? superbas
Hic ædes quondam, studijsque calentia tecta
Aspicies *a*: huc Sina suas, huc Bengala proles,
Huc mittet Malaca frequens, huc confluet orbis
Vltimus, hic leges, præceptaque fortia diuûm
Combibet, incensis animis glomerata iuuentus.
Hæc vbi lux aderit, quantum Goa tota Parenti
Xaverio? quantum Regi debebis Ibero,
Qui regnum dotale tuis deuouit alumnis.
Iam *a* Comorinæos latè peruadere tractus
Mens agitat, da da volucris talaria Persei
Beltramidæ pennate comes; me dulcis ad Indos
Raptat amor; iuuat ire iugis; vbi nulla priorum
Orbita, & humanæ desunt vestigia plantæ,
Nec satis id, iuuat ire fretis, vbi rara carinis
Semita, & audaces irrumpunt æquora nautæ

Scrutaturi:

a Comorinum Promontorium inter Indum & Gangem flumina, longo tractu excurrit in æquor, in cuius promontorij flexu ad Orientem est ora piscaria, à piscatu gemmarum sic dicta; huius oræ accolæ Parauæ nominantur.

Serutaturi auidâ, pelagi conchylia dextrâ.
Huc FRANCISCE, velut raptus plantaribus alis
Anteuolas, prædæque inhians, lustra omnia circum
Impauidus venator obis: non lethifer horror,
Non Parauæ, Badagæue truces, non flammea cœli
Zona super, totoque ardens Hyperione tellus,
Non vmbræ nemorum, species non mille ferarum,
Abruptæue iugis moles remorantur euntem.
Quo ruis indefesse pugil? quæ munera anhelis
Cursibus exquiris? rapit huc, rapit impetus illuc
Sollicitum, video: quidnam est? num diuitis vndæ
Ostrea, num lectas ora Garamantide gemmas,
Num Ternatinæ felicia germina terræ
Vestigas? num fortè aliquod sub pectore magno
Fulmen alis, quod te suprema per omnia ducat?
Spumantemne dari deserta per horrida forsan
Quæris aprum? aut fuluo vis decertare leoni?
Grandius his aliquid, magno te sanguine cretum
Sat confessus, amas; altum mens spirat honorem,
Nec facies mendax votis maioribus instat,
Testaturque animos. *animas*, pater inclyte, noui,
Vis *animas*. hæc præda tua est, hoc nobile lucrum,
Hæ tibi sunt, dites conchæ, viridesque smaragdi,
Quos tibi gemmarum piscatu fertilis ora
Porrigit; his implere manus, gremioque capaci
Claudere, quotquot habet tellus extrema, laboras.
Nulla quies animo, tibi nempe antiqua recursant
Somnia, & in medijs oblata soporibus, Indi [a]
Sarcina, mole grauis, cuius sub pondere, somnos
Excuteres, speciemque atra sub imagine visam

[a] De B. Xauerij somnio, quo abs se Indum gestari existimabat. Vide Tursell. l. 1. c. 8.

Sectatere vigil. Non hæc ludibria Morpheus
Attulit, aut vana mentem fallente figura
Phantasus illusit sopito. hæc somnia tandem
Euentus habuere suos. En India tota
Nixa tuis, FRANCISCE, humeris noctesque diesque
Te premit, ingentesque iubent assurgere curæ.
Hic sopor est nullus, veri sed lata laboris
Area, difficili luctandum in puluere: nullus
Ignauo locus, ista viris calcanda palæstra;
XAVERIOS huc ire decet. Procul este pusillæ
Degeneresque animæ: magnos hæc ora Leones
Postulat, infractos messis vocat ista colonos.
Talis eras talisque venis, FRANCISCE, nec atrum
Æthiopem frustra nunc abluis; ille salubri
Mersus aquâ fusca ponet cum pelle colorem,
Quin & Amycleas vincet candore volucres.
Hic ingens operæ pretium est. Lætissima farra
Spondet ager, sed raræ operæ. dolor! vnicus omni
Curarum sub mole labat, sociosque reposcit
Multa gemens ignominiam, plagasque, dolosque
Tartarei Raptoris: ohe, fortissima corda
Huc Europæis iuuenes properate palestris,
XAVERIO præbete manus, camposque iacentes
Versate, ingeniumque soli mollite colendo,
Nec segnes tolerate situ torpescere glebas,
Et noua versatis committite semina sulcis,
Ac tempestiuæ teneris ne frugibus imber
Desit aquæ, sudore frequens, lacrymisque rigate.
Sic amplam segetem regio modo barbara fundet,
Denique læta suas mirabitur India messes.
Inclamasse iuuat, Latia de gente valentem
Aduen-

Aduentare virum video *a* quem numinis ardor,
Indorumque salus, trans Gargara, transque sonorum
Euphratem rapit, & desertis applicat oris.
Felices Parauæ tanto Duce, ni benè cæptis
Inuideant *b* Badagæ, furiisque accensus iniquis
c Brachmana, Tænareis gens addictissima sacris,
Christiadûm leges, fideique elementa, nouumque
Perdere amet, nuper genita cum stirpe, parentem.
  Quin fugis, Antoni ? teque impendentibus armis
Eripis ? en, dum tu Remanacoris ad vada lustras
Vulgus inerme, nihil metuens, Badagæ ocyus acri
Procursu fremituque ruunt, totidem ora leonum
Esse putes, totidem immanes è montibus vrsos,
Hircanasque tigres: passim mactantque trahuntque
Obuia, diffugiunt, timidissima turba, puelli
Attonitique senes, & lamentabile matrum
Agmen; vbique metus vlulatibus ora reclamat
Æquoreis confusa sonis. Hoc cardine rerum,
Has inter furias, formidandosque tumultus
Haud timido stetit ore Pater, contraque luporum
Infandas acies, pulsa formidine lethi
Innocuas tutatur oues, ac talibus infit.
  Quo ruitis, Badagæ ? quæ vos furialis Enyo
In flammas & in arma vocat ? si iure venitis,
Huc satis est venisse, viæ depromite causas;
Sin furor est, subiti cursum cohibete furoris,
Hoc duce nil rectè geritur: Sin (quod reor vnum)
Hæc vobis exosa, fides, quam vectus ab orbe

 Occiduo

a Antonius Criminalis venit in Indiam an. 1545.
b Badagæ populi barbari ex finitimo Bisnagæ regno.
c Brachmanes, Indorum sunt sapientes idolis addicti, quæ Pagodes vocant.

Occiduo fundare paro, me figite telis,
Vnus ego intrepidè cunctis ibo obuius hastis,
Hocce lubens fidei dabimus caput, hæc modò ceruix
Insontes redimat Parauas; hac cæde luatur,
Quod teneri meruere greges. Generosa loquentem
Non tulit immanis visu, immanisque boatu
Prædo diu infrendens, rapta mox cuspide *a* Patris
Transadigit costas, duplicatque in vulnera dextram
Impius: Ille cadens cælum suspexit, IESVM
Ingeminans, IESVM moribundo immurmurat ore.
Nec stetit hic rabies, caput à ceruice recidit
Saracides ferus, & rorantes sanguine multo
Exuuias ostentat ouans, cæsoque superbit
Vertice, & ærata (ludi genus) arbore figit.
Fortunate pugil, largo cui sanguine, Christi
Concessum sancire fidem, Tu tramite claro
Sidereas î carpe plagas: tua nomina, Martyr
Magnanime, astriferos Comorinum tollet ad axes;
Audiet hoc tua *b* Sisa, tuæ quoque proxima Sisæ
Parma, nec egregiæ deerunt præconia famæ,
Tu moriens, IESV Sociorum ex agmine primus
Purpureum describis iter, monstrasque futuris
Ardua non molli gradiendum ad sidera planta.
Dum sic barbaricis *Antonius* occubat armis
Et Comorinæam fæcundi sanguinis vnda
Tingit humum, lacerosq; artus truncumque cadauer
Per saltus pia turba legit, tumuloque reponit
Cum lacrymis, planctuque, & flebilibus lamentis:

Loiola

a P. Criminalis pro religione ac Fide à barbaris necatur, primus de Societate Martyr. 1549.

b Oppidum in Italia, haud Parma procul, vbi natus P. Criminalis.

Loiola interea *Comorini* è vertice, latè
Proſpicit immenſis vſtos ardoribus Indos
Agreſtumque iras, curaſque auſuſque ſuorum,
Ingentemque animam Antoni, quam parta cruore
Laurea, difficileſque obitus, memorandaque cædes
Cælicolas inter magnos admittet ouantem.
Te quoque anhelantem ſudore, & puluere pulchro
Conſpicuum FRANCISCE, videt, quaſcumq; per oras
Fert oculos, manifeſta tui monumenta laboris
Tercentum ſtant fixa locis, campi, æquora, ſyluæ,
Et iuga, & effuſæ populis ardentibus vrbes
Hunc fama præeunte canunt. Hic integer æui
(Tantus amor IESV, atque animarum tanta cupido)
Deſertum aſſiduis orbem circumuolat alis,
Nuſquam oculis (quamdiu memori ſub pectore verſat
Quantus ad Auroram ſuperet labor) otia ſomni
Accipit, ingeminant curæ: par omnibus eſſe
Vnus auet, par eſſe nequit, iam brachia mille,
Mille manus, linguaſque velit, dum regna ſuperſunt,
Confectum putat eſſe nihil, noua ſemper anhelat
Vis inuicta viri, centum ſi vicerit orbes,
Centum alios ſuſpirat adhuc. Quo magna Loiolæ
Progenies tendis? tenuis tibi viſa Nauarra
Scilicet, anguſtuſque nimis feruentibus annis
Occiduus tibi Mundus erat. Sic mulciber ingens
Vrbanas populatus opes, foris altera quærit
Pabula, & immiſſis longè graſſatus habenis,
Per ſaltus, perque arua furit, ſegeteſque, domoſque
Cumque viris armenta rapit, nemorumque latebras
Oſtentat cælo, liquefactaque ſaxa ſub auras,
Abreptaſque trabes, ſcopuloſque eiectat, vbique
Vimque metumque vehens, haurit fonteſq; lacuſque
Flumi-

Fluminaque, & nisi detur obex, velit ire per omnem
Tellurem, atque imo consumere Nerea fundo.
FRANCISCI medijs haud dispar Flama medullis
Æstuat, hinc campos libertatemque reposcens
Ardet inexpletum, geminoque incendia mundo
Partiri, & tanto flagrat sese addere busto
Iam Goa, iam vasti lustrata Trauancoris ora
Gemmiferumque fretum, caligantesque profundæ
Tethyos amfractus, Nagapatanumque, feraxque
Ceilanus opum, tenuique Manaria cultu,
Iam veteres *Thomæ a* Meliapora norat honores,
Auditamque fidem longo relegebat ab æuo:
Iam Malaca Metalliferæ vicina Somatræ
XAVERII incensis, crebro ceu fulgure, verbis
Externata, malos detestabatur amores,
Erroresque suos: Neque segnius Amboinus
Ponebat sensim veteris contagia vitæ.
Iam fortunatas Meliori merce Molucas
Fecerat egregius cæli institor, & noua latè
Per Ternatinos cælestia semina campos
Sparserat, ac lætas spondebant æquora fruges.
b Maurica restabat præruptis vndique saxis
Horrida, Tartareæ species metuenda cauernæ.
Illa repercussis (signum ferale malorum)
Ponderibus trepidabat humus, motuque pauendo
Flammarum dabat ire globos, piceoque nigrantem
Immixtam cineri voluebat ad astra fauillam,
Indigenis commune malum: Nil talibus heros
Attonitus monstris, longè super ardua mentem
Culmina, & emotas trepidis, cum ciuibus vrbes

Por-

a Quid Xauerius egerit Meliaporæ alijsque vicinis vid. Tursell. l. 2. c. 14. 15. & sequentibus.
b Plura de Maurica regione vid. Tursell. l. 3. c. 2.

Porrigit, extenditque auidos ad barbara gressus
Littora: Non illum furuo nox obuia nimbo,
Tellurisque fragor, prorumpentesque sonoris
Turbinibus flammæ, capitique minantia saxa,
Maurorumque acies, crudæque immania gentis
Tentamenta mouent: Tectus cælestibus armis
Quid metuam, FRANCISCVS ait, me certa Tonantis
Securum tutela facit: nihil infera solus
Regna reformidem Christo duce; sæuiat orbis,
Tartareumque chaos, seseque Acheronte refuso
Torqueat, in nostrum stridens caput; ibimus illuc
Ibimus, hoc fixum est vegeto Maurotidas ausu
Tentare, atque nouas populis ostendere flammas
Fulminaque, atque alios barathro inferiore fragores.
Intrepidas voces æquarunt facta: per oras
Orco finitimas, Stygiisque simillima claustris
Claustra iniit, prædasque ipsis ex ignibus hausit
Heu! miseras a Maurorũ animas, propriisq; sepultas
Pænè rogis, lethô eripuit, cæloque remisit
Incassum frendente erebo. Quo me rapis ingens
XAVERI curis fessum, atque indagine longa
Terratum? Tu nempe meos, vir Flammee, cursus
Præceleras, cogisque sequi non passibus æquis,
Ibo tamen, sequar vsque lubens, licet ire laboret
Nostra tuos nunquam Musa æquatura triumphos.
Stat propè Nascentis radiosa cubilia Phoebi
Insula, diues opum, quondam Iapania dicta,
Iaponiæ nunc nomen amat, Tibi debita tellus

Ista

a Plurimos Mauricenses conuertit Xauerius, atque adeò in vrbe Tolo 25. millia.

Ista tuam suspirat opem *a Francisce*, seuero
Fessa iugo, primoque suas in sole tenebras
Horret, & alterius quærit primordia lucis;
Scilicet illius lucis, quam nullus opacat
Vesper, & æthereis è sedibus attulit olim
Astrorum lunæque sator. Tu gentibus illis
Exorere, & cæcam certatim euincere noctem
Aggredere, illustres titulos tibi fama per oras
Colligit Eoas, Sociosque ad dura laborum
Euocat. Haud monitis opus est, en præuolat vltro
XAVERIVS, Iaponasque omni sub luce reposcit,
Ah! Iaponas serus quando sopor occupat artus,
Aspicit, ac veluti premeret iam littora victor;
Lustraretque animas pereuntûm, nocte silenti
Erigitur, sterilesque dolet vanescere somnos.
Auguriis agimur diuum; nec vana soporis
Signa putes; iam vasta ratis vectura calentem
XAVERIVM, plenis parat æquora findere velis
E portu Malaca tuo; vocat eurus in altum,
Ibis io! *Francisce*, tuos Loiola labores
Dinumerat, spectatq; auidus. Quis per mare magnū
Cuncta recensentem discrimina, nulla timentem
Me tecum volucer notus auferat? O vbi pennæ
Dedaleæ? sed nostra Deus modò vota moratur.
Interea viridi Mosæ proiectus in alga
Multa gemam, vacuoque implebo littora questu
Anxius: atque animo (nec enim spes altera restat)
Hinc vltra Iaponas ferar ocyus. Hei mihi! quanto
Turbine, Tænariæ conspirauere cohortes.
O furor! o rabies! contra te tartarus vnum
Sæuit

a. B. Xauerius, destinatus indiæ, ac Iaponum præsertim apostolus, Tursell. l. 1.

Sæuit, acerba fremens, *Xaueri*; cernis? ab orco
Excita, per furuas subuecta draconibus auras
Dira Superstitio, monstrorum infanda creatrix
Aduolat, & pauidas Iaponum terroribus vrbes
Implet vociferans. En vestris proxima ripis
Classis init portus; nescis, Iapania, nescis
Quem vehat illa virum; nostris contrarius ausis
Hostis ab Hesperia properat, terraque marique
Me petit, hæc classis vobis funesta paratur.
Quos vestris gemitus terris, ereboque daturus
Quos mihi prædo nouus! dum res sinit, obrue puppim
Aut vnum certè pelago caput iniice, nobis
Care Iapon, si noster honor, si gloria cordi est.
Cunctaris? nec adhuc pœnas dedit improbus hospes?
En etiam vestra insultans tellure potitur.
Debueram infelix, cum primum in gurgite Eôo
Aduersæ patuere trabes; attollere vastum
Æquor, & infesti vectoris vela, profunda
Tempestate sequi, cunctasque excire procellas.
Nunc quoq;: sed serum est, totis proscribor ab Indis
Regnatrix Asiæ nuper, mihi Sina, Iaponque
Vix superest: sed terga breui me vertere coget
Possessaque diu (miserum!) regione migrare
Hic Pyrenæis genitus de cautibus, audax
Aduena, nosco animos. Ibo tamen, & noua contra
Arma facesque feram, Iaponumque nocentia tela
Adijciam, supplex *a* Xacamque Amidamq; precabor,
b Bonziacasque manus, quin tartara tota ciebo.
Per picę torrentes ripas, Phlegethontaque iuro,
Aggrediar

a Nomina sunt deorum, quos Iapones colunt.
b Bonzij, Iaponum sunt sacerdotes, improbi dæmonis administri.

Aggrediar ferale aliquid, facinuſque patrabo
Quod cupiat ſtyx eſſe ſuum : ſi cedere cogar
Sedibus his, certabo prius, nec inulta recedam.
Talia iactantem, furioſaque verba vomentem
Reginam Eumenidum, cœlo delapſa ſereno
Gratia, fulgentûm ſubito ſplendore comarum
Terruit, inque ſuas iuſſit remeare tenebras.
Tum conuerſa pedem, colloque infuſa trementis
XAVERI: dilecte comes, compone timorem
Inquit, & inſani furias, ac murmura monſtri
Deſpice, me ſtipante latus : licet ignibus orcus,
Fluctibus Oceanus circum tonet, Æolus Euris,
Terra feris ; licet emoti compagibus orbis
In te barbaries toto ruat impete, ſolus
Omnia profubiges, duce me : ac ne tela frementûm
Vlla perhorreſcas, adamante, atque ære trilici
Pectus obarmabo, tali munimine ſeptus
Ibis in hoſtiles vllo ſine vulnere turmas.
Tecum Relligio, vaſtiſque incognita regnis
Cana fides, Pietaſque citis inuecta quadrigis
Iaponias tendet nunc Te aurigante per oras;
Macte animis, tantas dignus frænare curules.
Finierat, reditumque alacris ſuper aſtra parabat
Gratia, & auratas librabat in aëre pennas
Immortale micans, ſolitoque auguſtior ore
Grande coruſcantis pallæ volitare per auras
Syrma dabat, cum fraude pia XAVERIVS oram
Cycladis arripuit talos fluitantis ad imos,
Reginæque fugam, tali ſermone repreſſit.
Quo ſuperûm germana volas ! mene inclyta Virgo
Me ſolum tanto rerum in diſcrimine ſolum
Linquis, & à noſtris in cœlum amplexibus exis ?
Ipſe

Ipſe acies inter medias, ſtygioſque furores
Inſcius armorum linguæq; hominumq; locorumque
Errabo, interea tutos, ô diua receſſus
Sola petes? non has docuit clementia leges
Non veſtræ regionis amor, ſcis pacta fidemque
Ante datam, æthereos per te Regina penates
(Nam terris iam rara fides) per ſi quid in aſtris
Dulce tibi, ſubmitte animos, & inhoſpita mecum
Regna ſubi, non longa mora eſt: vel ſi tibi præſens
Sordet humus, patrias tecum me transfer ad arces.
Audiit hæc placido ſubridens Gratia vultu
Admiſitque preces, deſolatique clientis
Pectora demulcens, ſimul ô ſimul ibimus, inquit,
Non ego Te dilecte comes (lex vrget amoris
Et lacrymæ, queſtuſque tui) nec funere in ipſo
Deſtituam: ſed ne nimiis fulgoribus ictæ
Deficiant acies, tua me in præcordia condam.
Hic tibi ſufficiam vires, & pectore in vno
Sentiet eſſe duos, quiſquis contra ire parabit.
Hæc effata, animi tacitas ſublapſa latebras
Inſinuat ſeſe, atque ingenti pectore miſcet,
Hoſpitium par nacta ſibi, dignoſque receptus.
Nunquam aliàs tantis XAVERIVS ignibus arſit,
Agnouitque Deam flammis iaculiſque potentem,
Scrutantemque fibras: nec tanta incendia lentè
Diſſimulare licet (quis enim modus?) hauſta medullis
Purpureas rapuere genas, totoſque per artus
Diuinis manifeſta notis rutilatque ſalitque
Flamma recens: mora nulla, nouas graſſatur in oras
Fulminis in morem, Iaponumque horrentia regna
Luſtrat; vbique nouæ veſtigia lucida flammæ
Preſſa legas. Immenſus amor nil linquit inauſum.

Haud

Haud aliter Phaethon (fas est si credere famæ)
Arduus ignipedum quondam frænator equorum
Et patrij fulgoris amans, delapsus ab axe
Flammigero, quacumque ruit, radiosque facesque
Iactat inextinctus; Boreamq; Austrumq; , plagasq;
Euroque Zephyroque datas peruadit, vbique
Terribilis, flagransque immane, nec ignibus hausta
Contentus tellure, polis superisque minatur,
Aut si quid superos vltra patet. Orbis Eoi
Talis obit campos Xaverivs, obuiaque vrit
Oppida, & attonitas cælesti fulmine gentes
Territat: ingentem stupuit a Cangoximà primùm
Stare virum, lucemque oculis mirantibus hausit
Hactenus inuisæ Fidei, lætusque serenum
Rumor b Amangucium c Figuenaq; regna, Ximoque
Firandum impositam afflauit, longasque tenebras
Gens visu, Francisce, tuo gauisa repentè
Exuit. Auroræ lux optatissima tandem
Exoritur, piget in tenebris, & nocte maligna
Consumpsisse æuum: placet illis lucifer ingens,
Et meliora Nouas permulcent sidera gentes.

Attamē, heu lacrymæ! lucē hanc miseranda Meacus
Respuit: ô quantis, malesana fauoribus obstas!
Ecce per immanes scopulos, abruptaque saxis
Saxa, per effusos vndis glacialibus amnes,
Riparumque moras, nemorumque nigrantia lustra,
Concretam tergo glaciem, & stillantia nimbis
Ora gerens, lacerasque trahens, miserabile, plantas,
Vrbs indigna, tuæ sitiens auidusque salutis

Obli-

a Vrbs est in Iaponia, regni Saxumani præcipua.
b Oppidum maritimum in Iaponia.
c Figuenum regnum in ea Iaponiæ insula, quæ Ximus dicitur, vbi & Firandi oppidum.

Oblitusque sui (stimulos vis sancta ministrat)
Te FRANCISCVS adit: verùm hunc heroa repellis
Improba, nec pro te toleratos, cæca, labores
Agnoscis, pensasue operæ dispendia tantæ
Infelix: veniet lustris labentibus ætas
Cum tua sollicito seros dolor ilia morsu
Distrahet, & lumen frustra lugebis ademptum.
Fortunatæ vrbes, quas è caligine mæsta
Eduxit pietas: sed felicissima semper
Præ cunctis mihi a Bungus erit, quæ numine dextro
XAVERIVM intrantem regali amplexa paratu
Sedibus admisit patriis, solioque recepit
Alta euoluentem sacrarum exordia legum.
Hærent attoniti proceres, effusaque cunctis
Turba locis, pendentque viri narrantis ab ore,
Miranturque nouos cultus, peregrinaque signa,
Verbaque, & aductas alio de cardine leges
Arripiunt auidi: maiora silentia nunquam
Per populos, maiorq; stupor, quàm dum arte decoram
Amplexæ IESVM Genitricis-VIRGINIS altè
Protulit effigiem, rerumque à principe causa
Orsus, inauditis laxauit vocibus ora.
b Magna DEI mandata, duces, legesque verendas
Aduehimus, non hic vanæ ludibria noctis
Aut somno comperta damus; fidei abdita nostræ
Hactenus (hinc gemitus) vestris incognita terris
Mira equidem, sed vera loquar, DEVS arbiter orbis
Molitorque

a Xauerius à rege Bungi honorifice excipitur. Bungus vrbs regia est in ea Iaponiæ parte, quæ Ximus dicitur. Vid. Tursell. l. 4. vitæ Xauerij c. 9. 10.

b Inducitur hic Xauerius, longiori oratione declarans Iaponibus fidei Christianæ mysteria.

Molîtorque ingens,æuoque antiquior omni
longè Amida,Xacaque prior,quodcumque tueri
Fas oculis circùm ,ſupraque infraque , patenti
Terrarum gremio,aut cæli complexibus amplis
Impoſitum ſolo (miranda potentia!) nutu
Edidit in lucem,nihiloque excedere iuſſit,
Ipſe ſibi regnum,ſibi regia,tota ſupellex
Ipſe ſibi,nullius egens,tamen arſit,& vltro
Fudit opes ,plenaque dedit bona munera dextra,
Immenſamque ſuo digeſſit numine molem;
Æthera diffudit,ſtellantibus æthera flammis
Accendit,medio librauit in aëre terram,
Hanc latè reflua circum ambijt Amphitrite,
Addidit & fontes,longoſque è fontibus amnes,
Queis inter ſcopulos,atque vmbriferas conualles
Strauit iter liquidum,pelagoque immiſit aperto,
Nil vacuum natura ſinit: vaſta æquora piſces,
Terra feras,volucres agitabilis aura recepit,
O Iapones meo cura, meo gens nata labori,
Vos quibus æthereus vigor , & cæleſtis origo,
Erigite excelſos cognata ad ſidera vultus,
Aſtrorum lunæque ignes,ſoliſque ſereni
Dulce iubar ſpectare iuuet , luciſque recurſus
Alternos,noctiſque vices,rerumque perennes
Occaſus ,ortuſque nouos, & ſemina mundi,
Ecce rotundati ſublimis machina cæli
Voluitur aſſidua vertigine; læta laborant
Aſtra,ſuis nunquam feſſa indulgere choreis,
Vt ſileam,ratus ordo poli, digeſtaque latè
Conclamant elementa Deum; qui,terra coloni
Indiga,neglectis ne paſſim horreſceret aruis,
Huic cultorem operum,diuinorumque capacem
Efformare

Efformare hominem, fuluaque educere terra
Constituit, dominumque nouo præscribere mundo.
Nec mora consiliis, hominem dicto ocyus vdâ
Tellure eductum, vitalibus imbuit auris,
Claraque diuinis afflatibus ora serenat:
Illi nomen *Adam*, qui ne consorte careret
Anxius, & vacuos solus consumeret annos,
Mox benè consuluit casto Deus æquus amori,
Namque viro dulcem, rursus molimine miro,
Effinxit thalami sociam, lætisque iugatos
Auspiciis, ambos florentibus intulit aruis,
Elysiisque plagis: At ne sine lege vagentur
Effrenes, primaque colant ab origine numen,
His præcepta dedit, præceptisque addidit iras,
Horribiles iras, & inexorabile fatum,
Si vetitam (vetuit pomi genus) arbore frugem
Carpere, & audaci tentent conuellere mâla
Fatorum immemores: generis primordia nostri
Fortunata cano. Felix humana propago
Nempe foret, viridique etiamnùm staret in aula,
Fortunæ secura suæ, nemorisque beati,
Ni primæua parens fallaci credula monstro,
(Monstrum hoc anguis erat, monstrum phlegethonte sub imo
Conceptum, dirum cuncti iure odimus anguem)
Arboris infaustæ pomum fatale tulisset,
Furtiuaque latens hausisset virus in esca;
Inque parem secum, miseranda clade ruinam
Criminis & tædæ socium traxisset Adamum.
O hominum ignaræ mentes! sic cæca futuri
In peius gens prona ruit. Felicibus, eheu!
Nunquam stare diu concessum est. Numine læso

Eua nocens, nimiumque (nefas) vxorius Adam
Fulmineas sensere minas, morsuque sub ipso
Deprensi, æterno viridaria læta coacti
Mutare exilio, nunquam remeabilis horti
Amisere decus. Sic nostri sanguinis author
Errauit: miseris hæc culpa nepotibus obstat,
Hinc inter lacrymas nati denascimur: illud
Nos infelices luimus scelus, inde malorum
Dira cohors, stirpem longè desæuit in omnem.
Nec satis hic sæuire fuit; post funera restat
Tartareum chaos, exangues vbi nubilus vmbras
Limes habet, mæstoque sonat fera regia planctu:
Stridor ibi, gemitusque, catenatæque dolorum
Stant series, furiæque armis vltricibus instant,
Exercentque reos fumo, face verbere, flammis.
Quidquid vbique atrox, dirum, illætabile, acerbum,
Id totum orcus habet, cumque sic funesta parentur
Supplicia, ad thyasos veluti, plaususque perennes
Confertim ruit huc, & primus, & vltimus ordo:
Lata via est, se densa tamen premit vndique turba
In cladem festina suam. Sic æthere grando
Præcipitat, sic fæta niuis bacchatur ab Arcto
Tempestas. prô gnara nihil mortalia casus
Corda sui! quem noxa semel damnarit Auerno,
Actum est, ad superos illi spes nulla regressus,
Nec virides campos, nec Eoæ gaudia terræ
Aspiciet, dulcesue polos, solemque relictum,
Æternum est periisse semel, dolor! ordine longo
In stygias sedes etiamnum, & pallida regna
Adamidæ ruerent cuncti, ni Numinis ingens
Humanas dudum pietas miserata ruinas
Resque humiles, læta reparasset sæcula sorte.

Ipse

Ipſe Deus, Iapones, ſupera delapſus ab arce
Virginis in gremium (tanta eſt clementia diuûm)
Æthereos texit noſtra ſub imagine vultus,
Impleuitque ſuum ſignis illuſtribus ortum.
Hic puer, hæc Virgo eſt (pro! quã formoſus vterq; !)
Cernitis è picta quos ſcintillare tabella,
Ille puer, Deus ille (nihil mihi fingere fas eſt)
Heu, vagus ille diu, paſſuſque haud digna per oras
Iſacidûm, morum monumenta ingentia fixit,
Totus amor, totuſque ſalus, totuſque medela
Per populos paſſim. Sectari ſingula longum eſt.
Ah! infelicem nimium dilexit Adami
Progeniem; vitam immerita pro gente paciſci
Nil veritus, rigidam ſubiit per vulnera mortem
In trabe funerea. Letho ſic noſtra redemit
Fata ſuo, probriſque ſuis decora ampla parauit,
Ille triumphata tandem poſt funera morte
E tumulo patrias victor remeauit ad arces,
Signauitque viam, qua poſtera turba, ſalutis
Auctoremque ducemque ſuæ, non ſegnibus auſis
Sectetur, pactoque habilis ſuccedat olympo.
Arduus eſt cœlo trames, ſunt horrida forti
Monſtra domanda manu, quænam ſunt crimina, quæ
Ius, ratio, natura, Deus vitanda latenter (nos
Edocuit, noſtroque inſcripſit pectore leges.
Has vobis, Iapones, nunc pandimus; eia peroſi
a Gironemque, Amidamq; , ſtygis portenta nefandæ,
Æternæ mentis numen, venerandaque ſummi
Iuſſa Dei, obtritis humiles agnoſcite monſtris.
Lux fœcunda operum, clariſque accommoda cœptis
Naſcitur imperio ſuperum: procul impia cedat

 Relligio;

a Idola ſunt, ſeu dij, quos Iapones venerantur.

Relligio; tempus vitæ commissa prioris
Vlcisci, noctemque atram, quæ nube maligna
Hactenus in præceps, erebique immania stagna
Detulit incautos. Satis heu! mendacibus vmbris
Delusi, vestro lectis de sanguine prædis;
Stragis inexpletum, miseri, ditastis auernum.
Flectite iter, Iapones, malè pergitis, iste ruinas
Trames habet. Mediis gressumq; animumque periclis
Dum licet, eximite, ac tenebras, & vincula, & omnem
Effugite errorum seriem: vos patrius ardor,
Vos pietas, vos vestra salus, vos obuius æther
Ecce vocat: quid statis adhuc? rapite astra, morasq;
Frangite terrarum, totumque irrumpite cælum.
Nunc nunc vtendum superis, dum plena facultas,
Dum numen, dum fata sinunt, date prælia cælo
Digna, viri; manet hæc ingens certamina merces;
Cælo longus honos, atque indiuulsa potestas
Obueniet; vos ipse sua dignabitur aula
Et solio stellante Deus, dapibusque beatis
Immortale merum, circum applaudentibus astris
Permiscebit; vbique sacri pæanes, vbique
Serta, coronatæque rosis halantibus ædes,
Et nunquam turbanda quies. Huc ire recusas
Care Iapon, tantique fugis consortia regni?
Non ita: pollutas habeat sibi Bonzius aras
Mentitosque Deos, & regna simillima diuis
Quos colit insanus: vos ô meliora probate
Imperia, & genitas cælo transcribite mentes,
Sed prius (hoc caput est) lustrali fonte piandas.
Hæc vbi XAVERIVS suggestu auditus ab alto
Ediderat, glomerata cohors his excita verbis
Hactenus ignoti vulgata oracula Christi
Agnoscens,

Agnoſcens, monituſque ſacros, legeſque colendas,
Obtutu gelida ora premit, lætuſque per omnes
Horror it, inclamant manifeſto numine ductum
Qui dudum implexis quæſitam erroribus, almam
Aduehat orbe fidem Heſperio, ſuperumque receſſus
Detegat, & verum, poſt tot mendacia, numen.
Pars ſtupet ingentes animos, pars ignea verba,
Pars habitus, rituſque nouos; procerumque per ora
XAVERII virtus, lætiſque fauoribus omni
Concinitur vulgo: ſolum, cui læua voluntas,
Bonzius infrendet, tantis ſucceſſibus æger,
Inſultatque viro, peregrinaque ſacra ſceleſtus
Ridet, & inſano diras exaggerat ore.
Sed quid ego hæc refero? iam pridem Ignatius ardet
Noſſe, vbinam requies, & meta extrema laborum
XAVERII, quonam vſque flagrans exire laboret
Ardor, & accenſos vbi tandem terminet æſtus.
Portus in amplexu Tethidis iacet, vndique raucis
Cinctus aquis, ſtatio laſſis quæſita carinis,
Sancia cui nomen, tumidis contermina Sinis.
Hic ſummus FRANCISCE labos, hic terminus æui
Te manet, hic vigor ille tuus, nunquamque quieti
Vis animi, totos votis ardentibus Indos,
Sinarumque amplexa plagas, iam iamque tenenti
Perſimilis, tandem immenſis ſuccumbere curis
Cogetur, lethumque pati. Sic Phoebus in ortu
(Æmula fraternos vbi Cynthia cominus ignes
Sic tripit) obſcura nitidos ferrugine vultus
Condit, & Eôis lacrymabilis occidit oris.
Actum eſt; Virgineas febris depaſta medullas
Inſerpit, ſed *Diuus Amor* violentius acri
Febre coquit, rapidaque palam præcordia flamma

Concremat, insignemque animam splendore corusco
Dedignantem artus pridem, ac migrare volentem
Arripit, ac dulci dilectam cuspide rumpit.
Mox illum amplexæ Pietas, virtusque cadentem
Excipiunt: Summis apicem sibi quærit in astris
Spiritus: ingenti resonant stellata triumpho
Atria Xauerioque omnis venit obuius æther,
Victoremque heroa canit, simul agnitus, omnes
Abstulit in se oculos, fecitque silentia fulgor.
Interea moestis ploratibus alta reclamant
Æquora, & amissum querulo cum murmure plangit
Turba virum, & vultu non exsatiatur amico
Fassa pios gemitus, lacrymasque in pectora fundit
Incumbens; pars damna gemunt, pars oscula figunt
Luminibus caris, & sic de morte queruntur.
Inuida fata bonis, & mors ingentibus ausis
Dura comes, tune hunc Tithoni sæcula dignum
Vincere & annosi transscendere Nestoris æuum
Sæue rapis, raptoque omnes consumis in vno?
Siccine degeneres animos, turbamque minorem
Dissimulas, parcisque gregi? gregis improba tollis
Ductorem? magno FRANCISCI sanguine pasci
Nempe honor est: Non te generosi pectoris ardor,
Non virtus egressa modum, non gloria rerum
Gestarum, non nostra salus, non terruit omnis
India? quæ talem tantumque irata requiret
Sæpe virum, faciet que tuis conuitia telis. (nullo
Quid queror? heu! FRANCISCE iaces, quem turbine
Concussum, quamuis media in vertigine mundi
India, nec Iapones vnquam videre iacentem,
Ignipotens te strauit Amor, nam quis tua contra
Arma alius valeat, tantosque æquare lacertos?

Igne

Igne tuo, FRANCISCE, rogi non indigus ardes,
Ah! Pater! æternus Iaponum dolor, & noua clades
Semper eris, mæstæque diu plorabere genti.
Te Tigris, te Rex fluuiorum maximus Indus
Flebit, & Euphrates lacrymosis imbribus auctus
Funeris ad famam ripâ lugebit vtrâque.
Ipse Tybris tantæ iacturæ conscius, ibit
In lacrymas, septémque iugis lamenta sonabunt,
Flebilis & fractis plangoribus aggemet Echo:
Iamque erit illa dies, qua Te quoque debita magnæ
Virtuti delubra colant, summusque sacerdos
Romulidûm, meritos terris indicat [a] honores.
Has procul à Iaponũ, quas pridem ambiuimus, oris
Inferias tristes, atque exequialia pendo
Dona tibi, FRANCISCE, lubens: tua gesta tuosque
Designaui obitus, cum te tamen India necdum
(Dum meus extremos rapitur Loiola per orbes)
Viderit: hoc tuus egit amor, deuotaque laudi
Iam dudum lyra nostra tuæ: Florente sub æuo
(Si memini, ter quina mihi iam fluxerat æstas)
Te colui, nomenque tuum, vitamque volutans
Prodigijs claram cælestibus, ilicet ipse
Exarsi, Iaponasque tuos meditabar, & Indos,
Seu veheret Matuta diem, seu Vesper opacus
Lunares agitaret equos, tu nocte sopora,
Tu mihi luce aderas, perque inuia lustra videbar
Ire comes, casusque tuos, animosque legebam,
Nescio quos stimulos, & pulchræ gaudia mortis
Mente gerens: Tum si qua mihi concessa facultas

 Tranandi

a Franc. Xauerius in numerum Sanctorum relatus cum Patriarcha nostro S. Ignatio, alijsque anno 1622. sub Gregorio XV.

Quondam inter Iaponas generosa ad fata vocabit,
Sanguineamque necem: dabitur pro numine passis
Ille decor; talis veniet post vulnera merces.
O quantæ athletis cædes Iaponensibus instant
Collêgisque tuis! hunc furca, hunc mucro cruentus
Clarabit pugilem, lento hic torrebitur igni,
Hic iterum at que iterum ingesta cruciabitur vnda
Tormenti genus invisum! magnis que ferendum
Pectoribus! summis hæc grata piacula diuis
Aspicis æthereos inter, comes optime, nimbos
Agmine vt in medio, reliquis fulgentior vnus
Præradiet, rosea caput amplectente corona?
Qualis vbi oceani de gurgite Lucifer aureum
Extulit os cælo, cunctis formosior astris
Emicat, & reduci nitidum parat æthera phœbo.
Hic hic Ausoniæ longè invictissimus heros
Flos Genuæ, magno que trahens de sanguine nomen,
a *Spinola*, Sidereis rosa mox dignissima campis,
Ille pererrato per mille pericula ponto
Mygdonios viset populos, Iaponumque cateruas
Numinis imperio cælestibus asseret armis.
Ille (quis hos valeat verbis æquare dolores
Supplicijsque pares animos, & stemmate dignos?)
Post longa exilia, atque b Omurani carceris umbras,
Crudelesque moras, & funera longa, diu que
Mortem intentatam, divina lampade fibras
Saucius, aggestas, tormenta immania, flammas,
Fumantesque pyras circum, lentumque vaporem,

 atque

a Carolus Spinola Genuensis, pro Christi Fide in Iaponia igne lento extinguitur an. 1622.

b Vide vitam Car. Spinolæ, c. 14. vbi asperitas carceris describitur quam 4 annis sustinuit propè vrbem Omuram.

Atque inſerpentes per torrida membra fauillas
Perferet immotus, fixoque ad ſidera vultu.
Sic ſic æternos aſtrorum Carolus ignes
(Hoc flammæ pepetere) ſuo fulgore præibit.
Huc obuerte acies, en huius altera turmæ
Gloria a, Parthenopes decus ingens debita ſeris
Victima Iaponibus, properati è limine lethi
At non humanis opibus, non arte magiſtra
Erutus; hunc ſed depoſitum tua dextera ſeruat
XAVERI, maiorque Deus, per tela, per ignes,
Horrificos ignes, tormentorumque boatus
Defenſum dabit; & Nabathæis inferet aruis.
Oſtendent Indis hunc tantum fata, nec ire
Vlteriùs Iaponum præceps ſinet ira furorque.
Heu rabies! heu ſæue Iapon, ſic pignora vitæ
Reddita, terrarum tantis pelagique periclis
Miſſa tibi, ſubito properaſti extinguere fato?
Vnde hic cædis amor? quæ dira inſania mentes
Præcipitat? certè ſi noſſes dona, profundo
Hic Latio ſcrutandus erat; Gangiſque ſuperbis
Mercibus, & clari gemmis Orientis emendus.
Iam conclamato nimirum, vt tollere poſſes
Húic fuerat reddenda ſalus. Sed ſera querela eſt.
O dilecte Deo, ſi quà tela hoſtica frangas,
Tu *Franciſcus* eris. Vos veris honore ſoluto
Accumulate artus, placidaque in ſede locate
Corpus adoratum Iapones, queis nomen IESV
Inſonuit, pulſatque ingens præcordia virtus.

Interea

a Marcellus Franciſcus Maſtrillus mirabiliter, ope B. Xauerij ab imminenti morte liberatus, in Iaponiam venit 163 . Vbi exquiſitis tormentis cruciatur, & moritur pro Christo eodem anno.

Interea toto diuisis æquore terris
Tendimus ad populos, Sinarumque ardua claustra
Rumpimus; en Italis longè submissus ab Oris
Ductor, inaccessas arces, cunctisque timendas
Hospitibus, spreta præsentis imagine lethi,
Securusque sui, (crux nulla flagrantibus obstat)
Riccius a ingreditur, Sociosque ad prælia IESV
Euocat, attonitisque nouus præco vrbibus errat,
Sacraque regalì defigit signa b Pachino.
Ibitis huc quondam superis stimulantibus acti
Illustres Belgarum acies, quos torquet auari
Fraus erebi, longusque furor, iacturaque tangit
Heu! *Sinæ* pereuntis, & exul gloria Christi.
Huc Catuacena lectus de Gymnade tendes
c *Trigauti*, & gemino superata per æquora cursu
Eoum signabis iter, cætusque virorum
Magnanimos, Orco, pelagoque fremente, reduces
Quos tecum pius ardor aget maria omnia circum.
Aliger hæc: verùm aligeri modo verba subire
Fas sit, & audaci socios impellere cantu.
Cælicolûm leges, fideique oracula nostræ
Vulgatura cohors vltra Garamantas, & Afros,
Æthiopumque domos, primique cubilia phoebi
Ite alacres, seruate animas, erebique furentis
Relliquias tristes, & quidquid restat Eoi
Quod pereat mundi; domitoque impingite diti
Vincula, ne miserâ populorum strage triumphet
Ampliùs, inque vicem doleat sua regna domarii.

a Matthæus Riccius primus in Sinas tendit Anno 15
b Pachinensis, & Nanchinensis, vrbes sunt regiæ, ac p cipuæ in regno Sinarum, vbi iam sunt inchoata Collegia
c Nicolaus Trigautius Duacensis venit in Sinas 1610. Breduxit in Belgium eò reuertitur. 1620.

Ite, quibus Christus proclamat ab æthere, ferte
Ferte animas, spolia ista peto, date munera cælis
Quæ merui, & toto quæ sanguine prodigus emi,
Si quem noster honos stimulat, spesq; inclyta palmæ,
Huc properet, licet hic famam sperare sepulchro,
His age quæratur lethum memorabile campis.
Sic IESVS hortatur; ego sic talibus insto.
Felices, quibus extremos lustrare recessus
Sinarum, Iaponumque datum est, spolijsque superbam
Irè stygem contra, raptasque auellere prædas
Hostibus, & vitam IESV pro laude pacisci,
Infelix ego, cura minor facilisque relinqui,
Heu patriæ iuxta tumulos, procuruaque Mosæ
Littora, dequestus casum, tristemque repulsam,
Vel salices inter, vel amantes fluminis alnos,
Moesta sonaturis recitabo carmina ripis.

Finis Libri Tertij.



ARGV-

ARGVMENTVM LIBRI QVARTI.

Continentur hoc extremo libro ea, quæ SOCIETAS gessit in Africa, ac præsertim in regno Mogor, opera Rudolphi Aquauiuæ, ac in regno Monomotapæ, alijsq́; Æthiopiæ regionibus industria ac labore Gonsalui Siluerię, aliorumq; virorũ illustrium: Præterea quæ in America, & præcipuis eius partibus, Brasilia, Paraquaria, Peruuia, Mexico, atq́; alijs contigerunt.

Sed quia illius noui Orbis potissimus fuit Apostolus Iosephus Anchieta, Vir prodigijs cælestibus inclytus, eius speciatim virtutes, & gesta memoranda fusius celebrantur: Hic enim vnus sociorum omnium Missiones arduas obeuntium exemplar iure haberi potest in Occidente; vti S. XAVERIVS (de quo præcedenti libro egimus) in Oriente. Demum post grauem dæmonis, fidem in Americam aliquando inuehendam præsagientis indignationem & querimoniam, terminatur Ecstasis octiduana S. IGNATII, qui sibi redditus, Manresanam primò vrbem stupore, ac deinde suarum fama virtutum, vniuersum orbem impleuit.

DE RAPTV MANRESANO S. IGNATII DE LOIOLA FVNDATORIS SOC. IESV

LIBER IV.

SInarum interea cælo ſatus aliger oras
Loiola ſtipatus obit, gremiumq́ue rubentis
Auroræ penetrat, *a* Cochincinamq́ue per omnem
Cataiam *b* Manilamq́ue meat: poſituſq́ue locorum
Monſtrat ouans, quo turma duci fidiſſima IESV
Occidui quondam veniat de margine ponti,
Defigatq́ue nouas exorſa per ardua ſedes.
Iamq́; iter extremum, mundiq́; abrupta tenebant,
Cum ſubitò ante oculos *Libyæ* moerentis imago
Sciſſa comas, laniata ſinus, nudata lacertos,
Sicut erat, manans ſudore, & ſole peruſta
Adſtitit, & torta feriens præcordia dextra
Has interciſa vix rupit voce querelas.
Quò nimium diuerſus abis? decus ætheris alti
Aliger,

a Cochincina, regnum eſt ad orientem regno Tunquinenſi finitimum, quod Sinas attingit.
b Manila ciuitas præcipua in Inſulis Philippinis.

Aliger, & Numidas, desertaque pulueris Afri
Orbe vagus reliquo, longè fugis? hei mihi! quæ te
Causa, scelusue meum nostris te finibus arcet?
Europamque, Asiamque (tuos mihi læta paratus
Fama renarrauit) felix lustrator oberras,
Ingentesque aliis passim promittis alumnos
Aequandos comiti, quem cerno, & prona saluto.
Ah! me infelicem fatorum in cardine summo
In nostrum exitium latè incumbente ruina
Deseris? heu! vbi priscus amor, fideique vetustæ
Prima rudimenta, Æthiopum vulgata per oras?
Omnia fert ætas, numen quoque sustulit ingens.
Barbaries, densa circum iacet obruta nube
Veri sacra fides. Hinc gens sæuissima Cafres
Indecorem amplexi vitam, ritusque nefandos
In furias erebumque ruunt: hinc turba Canopi
Cecropio damnata luto, deformia visu
Monstra colit, rapido meritò quæ gurgite Nilus
Hauriat, & foedas perdat cum gentibus iras.
Insuper accendit nostros Monomotapa questus
Dedecorum fæcunda parens. Quot monstra ferarum,
Tot scelerum portenta gero, propriisque laboro
Pestibus; atque omni magè formidanda veneno
Hæresis, heu! nostras diris afflatibus oras
Inquinat, insanasque a Dioscorus excitat artes,
Inde Saraceni, genus intractabile, ferro
Res Mahometanas, Alcoranumque tuentur
Sacrilegi: ah! Mauræ feralia crimina gentis
Percensere pudet. Videt hæc, auditque polorum
Ille

a Dioscorus, creatus episcopus Alexandrinus, sub laruâ pietatis, varias hæreses clissem nauit, quæ etiamnum durant. Vide Baron. ad annum Christi. 45

Ille sator, lentaque pius circumspicit ira
Omne nefas: meque haud dubio modo destinat igni
Arsuram; quamquam totis incendia venis
Iam dudum miseranda fero; sat flebilis illud
Forma notat, fuscusque color, sudorque per artus,
Perq; genas lacrymæ: tamē heu! pro fraude nocentûm
Nunc alios ignes, majoraque tela veremur
Æternasque faces. Age nunc fortissime Diuûm,
Quisquis es, huc mecū gressumq; animumq; reflecte
Mitior, & nostris solem largire tenebris,
Solamenque malis: viden' vt sub nocte dieque
Planctibus assiduis squallentia pectora tundam
Infelix, nec adhuc sortem miseraris acerbam?
Non te terrarum tractus campique vacantis
Horror, & immenso tellus circumflua ponto
Terreat; huc faciles aditus tibi mobilis, ales,
Penna dabit, comitique tuo cælestia si quis
Pectora tangit amor, nostri miserere, nec ultra
Differ opem: sic fata sinus implevit obortis
Fletibus, & fracto tellurem prona petivit
Corpore: mox lacrymis ales precibusque mouetur
Prostratæ Libyes, subitoque affusus, anhelam
Tollit in amplexus, dictisque ita mulcet amicis.
Pone modum lacrymis, lassataq; brachia planctu
Iam cohibe; vasti pars flagrantissima mundi
Diceris, & patrios æquant tua vota calores,
Nec spernenda petis: Croceo tibi prosper ab ortu
Nuncius aduenio; neque me, si serus ad oras
Forte tuas tendam, culpaveris: Indus, & ingens
Euphrates, nuper tua visere claustra paranti
Iniecere moras, neque in sua regna volantem
Præcipiti traxere fuga; neque pænitet acti
Temporis.

Temporis, haud vanis percurrimus aëra pennis.
Vt voluctum vaga turba solet, quas impetus auræ
Nunc hac, nunc illac sine mente, sine ordine defert.
Nos aliud molimur iter, stant æthere causæ,
Est pretium Iaponas longum lustrasse per æquor,
Sinarumque domus, Tua nunc peruadere regna
Aggredimur: gratare tuis nunc *Africa* rebus
Iam dudum terris coetuque expulsa nocentûm
Relligio Pietasque, polis, & nube relicta
Pacifica lauro crinem, vittisque decora
Ecce profanatas propius jam respicit oras
Lustratura rudes populos, Cophtosque, Cafresque,
Et Pharon, & Colchos *a* Abassinosque, trucemque
Tartariam, ingenti neque Mogoris aula vacabit
Lumine; monstrata cupiat si luce potiri.
Hæc noua fax *b Rudolphus* erit, cui magnus ab ortu
Sanguis, & heroo spirat reverentia vultu
Excelsum testata genus: dignissima IESV
Hic soboles, tenero stimulos cui *Claudius* addet
virtutumque aditus, (post exorata parentis
Imperia, & spretos longo cum stemmate fastus)
Instinctusque sacros, magnæque exordia famæ
Pandet anhelanti: Nimirum, maxime, felix
Hoc duce Mogor eras, nisi plus vxorius esses
Quam ratio, numenque velit. sed nobilis aulæ
Desertor, subito transfert per Bactra, per Indos
Indignantem animam, frustrataq; lucra querentem.
Digna viro Goa nempe dabit certamina, posset
Impensus patriæ, longos sic ferre labores,

Sed

a Abassini populi sunt in Aethiopia, vti Cafres maximè barbari in Tongensi regno.
b Rudolphus Aquauiua lustrat regnum Mogor.

Sed lethi pius ardor obest. reparandaque diuûm
Gloria, quam fœdis Pagodes rapuere sub vmbris,
Hanc illi instaurare placet, neque solus honesto
Igne calet, ferrum & socij, mihi credite, ferrum,
Hostilesque manus, dudum sub pectore magno
Suppliciumque rogant: a auet hoc Paciecus, & icta
Iside Bernus ouans, scelerumque euersor Aragna.
In cassum nec vota cadent. Salsetide terra
Palma datur, venit altus honor, sed limite duro.
Hic iugulo, ille humeris, hic lato pectore tela
Consumet, vitamque haud vno vulnere ponet.
Pro Domino, tali dabitur victoria pacto
Ter felix fuso qui sic rapit astra cruore.
Ite duces magni, debellatisque decora
Cæde polis, partas hilares ostendite palmas
Hostilesque dein placidi ridete sagittas.
Qualis vbi densa venantum elapsa corona
Cerua fugax, teretesque plagas, & retia rupit,
Haurit iter, celerique volans rapit æquora planta,
Nec mora, sublimi superet dum culmina cursu
Vnde procul tergo metus est, per plana vagantes
Hinc videt, & summo despectat colle molossos
Iam secura sui; tutos dant alta receptus.
Ecquid ego hic alios Afra pro messe colonos
Qui tibi subsidio venient, opibusq; iuuabunt
Magnanimos proceres, & ituram in sidera gentem
Enumerem? longum est b *Gonsalui* euoluere laudes
Quem Tagus Hesperia gradientem cernet arena
Con-

a Rudolphus cum sociis occumbit pro fide Christi.
b Gonsalnus Silueria visit Aethiopiam, & præsertim regnum Monomotapæ, vbi regem docet, & baptizat cum aulicis.

Contemptorem auri, tempestatumque marisque
Victorem, Gangem supra transmittet & Indum
Ereptis inhiantem animis, auidumque laborum.
Ille per immanes saltus, sitientiaque arua
Mempheos, Æthiopasque feros, atramque Syenem
Ibit, inexpletis per inhospita confraga, curis.
Sed tua præ reliquis illum Monomotapa regnis
Aspiciet; legum præceptorumque capacem
Primus hic inflectet regem, procerumque cateruam.
Ante feros ritus, simulacraque fœda Deorum
Exosam, moresque sacros, numenque professam
Lustrificis tinget Lymphis, nitidosque renasci
Æthiopas, non iam Æthiopas (vis mira) iubebit.
Fortunata fores faustis *Monomotapa* rerum
Auspicijs, tanti ni disturbaret Erinnys
Orsa viri, grandisque nouam spem messis in herba
Demeteret, segetisque bonæ furiosa satorem
Tolleret. heu! dirum hoc facinus, gens impia, Cafres
Crudeles, nimiumque tui, sine lege metuque
Numinis aggressi, lethum ferale parabunt
Immerito. Si forte necem prænosse laboras,
Expediam. Rigida rex majestate timendus,
Eumenidum tædis, cæca stimulatus & ira,
Oblitusque sui (vafrum & mutabile Cafris
Ingenium) scelus hoc, indignaque fata cruento
Perfidus imperio rex designabit at illi
Obsequiosa phalanx, confisa silentibus vmbris
Gentiles imitata feras, pardosque tigresque
Fulmineosque sues, iracundosque leones,
Irruet & facilem subito petet impete prædam.
Namq; in procinctu, medio iam noctis abactæ
Curriculo stantem, generosaque fata morantem

Ante

Amplexumque Crucem (species hæc digna relatu)
Gonsaluum inuenient. Tantæ pietatis imago
Excutere hostiles laqueos, lethaliaque arma
Debuerat, sed amor cædis, rabiesque, minæque,
Nocturnusque furor, regisque insana voluntas
Præcipitant a properè laqueos nodosaque vincla
Expediunt, gutturque premunt, magnamq; laborant
Extorquere animam, supremus anhelitus illi
Errat adhuc, Iesumque sonat, nisi restis obesset.
Ecce grauos oculos, atque ora natantia letho
Aspicio, sparsasque comas: viden? ille labantis
Relliquias vitæ superis ostendit, & altè
Supremum erigitur, vitamque relinquit in astris.
Nec Cafrum tamen ira silet, facinusue peractum
Esse putant, dum membra vident, artusque iacentes
Exprobrare nefas: placet hos fluuialibus vndis
Perdere, & ignoto prædam transmittere ponto.
Ibis io! Gonsalue parens, securus vtraque
Parte tui, mens ampla suis iam libera nodis
Coelorum conuexa tenet, coetusque beatos
Inter ouat, palmas, lemniscatasque coronas
Dinumerans: rutilo iam nicceteria collo
Auratasque feres torques: dant vincla decorem,
Pressa suas melius resonabunt guttura laudes.
Nec te demersi sub gurgite corporis vlla
Cura coquat, mediis *Clemens* inuenit in vndis
Marmoreas ædes, tumulumque in marmore fixum.
Tu quocumque freto lateas, siue ardua nili
Stagna colas, Pelusiaco seu nota Canopo
Littora, seu vastis spumosæ Doridos antris

Naufragus

a Siluería, à barbaris laqueo necatur, & corpus eius in aquas proijcitur.

Naufragus exerras, maneas precor vſque ſuperſtes.
Ah! ne te Piſtrix, nec atrox Crocodilus adunco
Dente petat: liquidis iterum mereare reuerti
Sedibus, & portu tandem potiaris amico.
Interea toto Oceano dum conderis, ingens
Oceani tu ſidus eris: nec in æquore ſolus
Fulgebis *Gonſalue*; tuos cumulabit honores
Fataque, Chriſtiadum gens inuictiſſima, tecum
Cæruleis mergenda vadis, ſed fonte ſalubri
Tincta prius. Iuuat ire, iuuat, tecumque perennem
Egregiamque dato mercari ſanguine palmam.
Nec tenuem dabimus numerum, nec laudis egenum,
Quinquaginta animas a tibi mox ſocia agmina iunget
Sacrilegi Cafres, rabidique inſania regis.
Arcete æquoreis diuina hæc pabula monſtris
O ſuperi, prohibete nefas, turbamque vagantem
Fluctibus edomitis fida ſtatione locate,
Nullus vbi Boreæ furor eſt aut æquoris. At Vos
Ite truces furiæ (furiarum nomina iam nunc
Vincitis) ite Cafres dudum ludibria ponto
Debetis, pelagique feris; poſt Tethyos vndas
Ventorumque iras, dignos immanibus auſis
Expectate rogos, laxandaque tartara veſtris
Suppliciis, neque vos (Nemeſis ſi lenta ſequatur)
Euaſiſſe necem meritaſque ex ordine pænas
Credite: ſtat coelo vindex, qui fulmina vobis
Apparat, hic ſceleri, ſerus licet, imminet vltor.
Quantus Abaſſinas veniet tibi ductor in oras
Nunc referam paucis. Ingenti numine vectus

Debueras

a Quinquaginta Chriſtiani cum Gonſaluo demerguntur in odium fidei Chriſtianæ.

Debueras *a Nunni*, mitraque pedoque verendus
Has lustrasse vias, huc te tuus ardor agebat.
Hinc Tartessiacas arces, auroque fluentis
Arua Tagi linquens, semotos Gadibus Indos
Vndantemque Goam, fama præeunte subibis:
Inde per ardentes Libyæ properabis arenas
Ferre gradum, at tantos mors immatura labores
Abrumpet, patriaque dabit meliore potiri:
Non tamen hos tractus, & formidanda colonis
Arua, insperato turbatus funere Nunnî
Deseret Æthiopum documentum natus in ingens
Egregiis *b Ouiedus* auis: munusque relictum,
Immensumque auidè, & quantis non ante lacertis
Barettus, tractabit onus: non saxa, nec amnes
Nubigenæ, non sæua tigris, non cruda leonis
Ira, nec horrificis metuenda cubilia monstris,
Nec Phaethontea tellus damnata fauilla.
Imo nec immiti stipata satellitio mors
Nobilis orsa viri poterit cohibere (quis ardor?)
Ante fores Libyæ licet obluctetur erinnys
Intentetque faces, efferuescentiaque ira
Ora ferat contra, ferrumque minetur & ignes,
Vim, scelus, insidias veritus nil, vnicus ibit,
Ibit in arma palam, mediosque incurret in enses,
Non timidus, fœdas regi exprobrare tenebras,
Perfidiamque suam, latio data pacta reposcens
Imperio; verum furiis lymphatus iniquis
Non feret hos animos, fideique opprobria ruptæ
Rex immanè fremens hastaque innixus & ira

Intrepidum

a Ioan. Nunnius Barrettus destinatur in Athiopiam, sed morte præpeditur.

b Succedit illi Andreas Ouiedus anno 1556.

Intrepidum heroem lethali perdere ferro
Ibit atrox visu : sed enim trucis ora tyranni
Sanguineamque manum iam iam suprema minãtem
Non humili festina gradu regina, cruentum
Auersata nefas, sistet non mollibus ausis.
Verum aliquid letho grauius rex turbidus addet,
Scilicet ereptum crudelè rubentibus armis
Impius, hunc tristes procul amandabit ad oras,
Desertosque locos, vbi mille rigoribus horrens
Panditur immiti specus acclinata sub Arcto.
Infractus tamen ille malis tolerabit acerbum
Exilium, & duras fatorum euincere leges
Doctus, honorata clarabit morte Fremonam.
Gens vbi solemnem tumulum, tumuloque Sabæa
Thura dabit, Patremque ciens in rebus egenis
Poscet opem, sacrisque frequens iurabitur aris.
Hoc desolatam Libyem sermone leuabat
Aliger, Eoæ iuxta confinia lucis
Tithonique domum croceam : cum protinus ambas
Attollens super astra manus, has *Africa* voces
Læta dedit : Tibi sidereæ dux magne cohortis
Æternùm deuincta ferar, qui nostra benignus
Damna leuare paras, instaurandæque saluti
Mittere subsidium : dignas tibi pendere grates
Non opis est nostræ, veniet formosior ætas
Quæ faciet, si vera canis ; nec enim audeo dictis
Indubitare tuis. Sic fata, repentè sonoro
Cum fremitu, plausuque, caput submissa, beatos
Ante pedes, addens iterum atque iterum oscula lætũ
Vociferans subito liquidas effluxit in auras.
Alipedem interea Loiolamque impulit ingens
Impetus, & Nomadum flagrantibus intulit aruis,
Hic

Hic quacumque patet vasti plaga feruida regni
Ardorem Loiola, tuum, flammasque tuorum
Iamdudum sentire velit: sed id abdita necdum
Fata sinunt: veniet pennis felicibus hora
Quæ penset redimatque moras, & vota secundet.
Nunc age, cum minimè dubijs auctoribus, ingens
Sit *Libyæ* promissa salus, *Asiamq;* per omnem,
Europamque Deus Felix aspiret: in orbes
Nunc alios, me cara nouo procul impete tolle
Vrania, immensi tibi facta licentia cæli,
Hæc domus est, hic plectra tenes, hic æthera mulces
Carmine, & in thyasos errantia sidera ducis;
Nec tamen humanas fastidis ardua curas,
Nec terræ tibi vilis amor, sed sæpe micanti
Ostentas de nube caput, nunc axe sereno
Prona veni, inque nouos mecum delabere campos.
Sunt alibi ingentes tractus vastissima certè
Pars orbis superest, cui nomen *a America*, grandem
Quæ mundum vel sola facit: *Vespucius* audax
Hanc rate felici sulcans maria alta retexit,
Ostenditque nouum populis mirantibus orbem.
Hactenus inuisas nobis, penitusque repostas
Fert animus lustrare plagas, solisque subacta
Indigenis maria, & saltus, vrbesque, virosque,
Barbaricasque feras, habitataque tigribus antra,
Huc cursus Loiola tuus, stellantis ephebi
Huc iter est: equidem tanto duce & auspice nullus
Terror, & error erit. Libycis iam finibus ambo
Prosiliere Duces: sequor ô sequor aurea cæli

Pro-

a America, seu Nouus orbis, Primus à Christophoro Columbo Genuensi detecta anno 1492. deinde accuratius explorata ab Americo Vespucio Florentino, à quo America est nominata.

Progenies, da posse tuos æquare volatus,
Gentibus ignotis & quæ proferre parasti
Fata doce. Incipio. Regio quæ prima *Caprali* a
Magnanimo tentata gradu est, immania visu
Monstra gerit, credas Briarei è stirpe nepotes,
Centaurosuè truces, Lapithasuè, aut sanguine pastas
Esse tigres. tanta est rabidæ inclementia gentis.
Hanc adeò immitem læuo sub sidere terram
Brasiliam b indigitant: sæua plùs æquoris vnda
Hæc tellus metuenda fuit: Reuerentia nusquam
Numinis est, legumue timor, sine Rege fideque
Effera gens sociæ fugiens commercia vitæ,
Ceu Nomades, siluasque atras, vel opaca ferarum
Antra colunt: metuunt Brasilis occurrere telis
Tigrides, & timidi cedunt sua lustra Leones.
Nam velut Enceladi cælo capita alta ferentes
Ingentes arcus, patrioque imbuta veneno
Tela inimica rotant nudi, nisi forte cruentas
Pantheræ exuuias, aut cæsi terga leonis
Objiciant contra: sic intestina lacessunt
Prælia, sic annos ferro grassantur in omnes
Fœdifragi: bellum assiduè (seu ditis alumnæ
Impellant furiæ, seu cædis dira libido,
Seu feritas egressa modum, seu cæca malorum
Libertas, dulcesque animis crudelibus iræ)

G Bellum

a Aluarus Capralis primus Brasiliam detexit. Vide Maffæum in Histor. Indica. Initio lib. 2.

b Ab eodem Caprali Regio illa primo dicta Sanctæ Crucis, postea à Brasilo rubro ligno, quod inde petitur, Brasiliæ cognomen accepit. Vide plura apud eund. Maff. de Brasilorum moribus lib. supd.

Bellum agitant, bello infelix consumitur æuum.
Nulla quies, nec pacis amor, sed cudere rixas
De nihilo iocus est, & semper cæde recenti
Plaudere, & alternas in vulnera mergere dextras.
Nec consanguineis violare cruoribus arma
Horrescunt, verubusq; trementia figere membra,
Et lento torrere foco: sæuoque tumultu
Indulgere epulis feralibus: ista voluptas
Summa truci populo (quod vel ferus horreat Atreus)
Visceribus cæsorum, & crudo sanguine pasci.
Huc pietas cognata redit. sic nempe decorum
Fraterna ceruice putant, iuguloque parentum
Ludere, & infandis epulandos tradere mensis,
Vsque adeo ius omne iacet, spretasque requirit
Hic leges *Natura* suas, moresque perosa
Barbaricos, sæuis iam dudum excedere terris
Ardet, & assiduo magnum ferit æthera planctu
Sollicitatq; Deum. Diuumque hominumq; supreme
O genitor, qui post vasti fundamina mundi,
Atque elementorum seriem, stellantiaque arua,
Imperio producta tuo; de pulueris haustu
Compositum, manuum monumentum insigne tuarum
Effinxisti hominem, mentisque capacius altæ
Hoc animal, mira voluisti effulgere formâ,
Vultibus erectis, & maiestate verarum,
Terrarumque Deum, dominatorumque ferarum,
Cui ratio, & magno præses Clementia regno,
Et rerum concessus apex, scelerumque relictus
Horror, & in seros perduratura nepotes
Relligio, quonam ô hominum sator optime, quonam
Hic priscus defluxit honos? & gloria summis
Cælitibus suppar; mœstis en pressa tenebris

Caligat

Caligat ratio, & magnæ cæleſtia mentis
Semina, ſtant, denſis tellus velut horrida dumis,
Obruta: primæuæ veſtigia tenuia lucis
Vix ſuperant; Eheu! terris ex omnibus, vnam
Europam excipias propria quoque clade labantem,
Tendentemque manus: reliquo graſſatur in orbe
Effera barbaries, nuſquam clementia, nuſquam
Certa fides, periit pietas, ius, faſque, pudorque,
Aſpice eunt plenis terrarum crimina velis.
Atque profanatas alio ſub cardine leges
Vt ſileam viden' vt fractis impunè lupatis
Per ſcelerum genus omne ruant furialibus auſis
Immanes *Braſili*, pecudumque vt more pererrent
Auia, & humana (ô facinus!) iam carne ſaginent
Ingluuiem; ludumque putent cognata vorare
Viſcera, & effractis prædam indagare ſepulcris.
Ah! nimium vera eſt vulgata parœmia quondam,
Hic homini lupus acer homo eſt: iam nulla propinqui
Sanguinis eſt ratio: nihil hic (vix demo figuram)
Humani ſupereſt: trunca ora, cruorque Virorum
Funereæque dapes, eiectatuſque cruentas
Per menſas pateraſque liquor, quodque horreo fari,
Sanguineis epulis comes execranda libido,
Iam dudum merita, ô ſcelerum iuſtiſſime vindex
Supplicia expoſcant: dirum, ferale, pudendum eſt,
Hic quodcumq; vides. Nec adhuc, Pater, ignea laxas
Tartara, vel tota iacularis fulmina dextra
Conſumptura nefas? piget inter atroces
Patagonum populos, anthropophagoſque morari.
Iure equidem poſt tot funeſta piacula, læſam
Me pridem *Natura* queror, quæroque refingi
Vel Braſilûm mores, alio vel degere cœlo,

Ni facis, emorior: tali cum voce repentè
Exanimis *Natura* ruit, gelidoque recumbit
Fusa solo: extremis Libyæ cum raptus ab oris
Trans iuga, trans scopulos, Altantæasque procellas
Ales adest: subito tellus fulgore refulsit
Aduentum testata Dei, placidoque tremore
Subsultauit humus: mox talibus excita signis
Attonitos oculos, pallentiaque extulit ora
Naturæ *Natura* suæ prope reddita, & ingens
Sensit inexangues robur proserpere venas,
Sustinuitque diem; tum facta silentia rumpens
Exclamat: Quibus ô dulcissime ductor ab oris
Improuisus ades? nunquam meliore sereno
Cælorum conuexa mihi risere, nec vlla
Tempestate meis præsentior affuit æther
Casibus: ah! sine te vitiis vrgentibus ægra
Gentis inhumanæ, iam iam moritura ferebar
In tumulum, generisque mei fatale gemebam
Excidium: Tua sed facies augustior astris,
Nescio qua præter solitum dulcedine pectus
Mulcet, & ingentes amandatura dolores
Solatur luctusque meos, casusque meorum,
Et vitam proferre iubet. Mox subijcit ales:
Nos tua per Brasilos lamenta sonantia campos
Iam dudum audimus, neque tot clamoribus astra
In cassum pulsata putes, & iusta querendi
Causa subest, non inficior: Tecum omnia mundi
Claustra fremunt. Veniet fatis felicibus æuum
Cum docilis Brasilus, magno certamine nostris
Seruiet imperijs, numenque verebitur vnum,
Et formidata quæ nunc feritate laborat
Barbara plebs, positis discet mitescere telis,

Bonaque

Donaque adoratas superûm suspendet ad aras,
Et iacula, & pharetras, & tincta cruoribus arma,
Sacrilegos ritus, vitamque exosa priorem.
Hæc tibi Loiolæ, coram quem cernis, Alumni
Per pelagi rabiem elapsi, per dura viarum
Sacra ferent, Brasilosque manu ductrice refingent
In melius. Iam sume animos, & desine mœsta
Voce queri. ô quantis incedes læta triumphis,
Cum tua non solito pulsari remige cernes
Æquora, & vndosis pelagi prodire cauernis,
Europæ sociis Nereidas alludentes.
Qualis Asebedo quondam duce turma coiret
Subsidium latura tuis; nisi dira vetaret
Barbaries, clarosque ferox abrumperet ausus,
Soria, funesti sulcator prædo profundi,
Magnanimosque viros, & largæ prodiga vitæ
Pectora, ferrata telorum grandine, contra
Irrueret, ferroque furens, hastaque nefando
Cum grege bacchantum degrassaretur, & atra
Cæde cruentatos (facinus furiale!) Sodales
IESVM obtestantes, simulacraque sacra tenentes
Excuteret puppi, rapidisque immergeret vndis
Impius, & refugos animoso sanguine fluctus
Tingeret, Occiduo scelus execrabile ponto.
Inuidiam factura mari, lacrymandaque multùm
Hæc pugilum iactura foret, nisi fata supremus
Digereret Genitor, festinatasque coronas
Palmarumque decus, *Palmæ* propè littora ferret
Egregiis heroum animis, cursumque secaret,
Atque insperatum medio daret æquore portum.

a Ignatius Asebedus Lusitanus Brasiliam petens, in insula Palmæ, cum 39. Sociis pro fide ab Hæreticis interficitur.

At Tu (præmoneo) Pelagi grassator aperti
Improbe dux, ne crede mari, dirisque carinis
Oceano quas victor agis : rubet ille recenti
Sanguine, deposcitque tui violata cruoris
Vnda vices, & verò dabis : Te cædis vbique
Conscius horror aget, primo quoque murmure cæli,
Vel Pelagi fremitu, iam iam ventura pauebis
Supplicia, & semper timidum, noctesque diesque
Eumenidum flammata manus, stridore percussi
Ad siliet, dum tota tibi se tartara pandant.
Sed procul hinc furiæ, scelerumq; immanis imago
Cedat, & hos alio solemur carmine luctus.
Qualis io! quondam spelæa per auia cantus
Mulcebit sæuasque tigres, toruosque leones,
Inque nouas ducet siluestria monstra choreas.
Sed tibi præ cunctis fortunatissimus ille
Lucifer exurget, cum leuè fauentibus auris
Edomitoque mari *a Canarinæ* gloria terræ,
Ille Tuus, mihi crede, Parens *Iosephus*, ouanti
Persimilis, Brasilo vestigia puluere figet,
Atque affectando mox prodigialia cœlo
Signa dabit, mirisque nouum terroribus orbem
Concutiet, trepidosque trahet cum rupibus ipsis
Indigenas. Adeo virtute excellere magnum est.
Sed quoniam tanti herois gesta inclyta iam nunc
Nosse flagras, flammaque pari *Loiola* calescit,
Quæ noscenda dedit prona indulgentia cœli
Euulgare

a Iosephus Anchieta, Brasilorum Apostolus ortus est in Insulis fortunatis, quæ vulgo Canariæ dicuntur, has nonnulli hortos Hesperidum olim dictos fuisse putant.

Euulgare iuuat. Virtutum, & nominis heres
Iosephi, *Iosephus* erit: libamine pulchro
Namque hic virgineum, vix pubescentibus annis
Diva Parens florem, munus tibi dulce sacrabit
Ante tuas Supplex aras, hinc concitus oestro
Pierio, tua facta canet: simul acer IESV
Bellator, simul hostis erit metuendus Auerno,
Cælicolum accensus studijs, memoranda futuræ
Fundamenta dabit famæ, mutoque precatu
Hauriet insolitos, Brasilis quos diuidat, ignes,
Nec sinet hos torpere diu, namque odit inertes
Mens generosa moras, & amanti stare videntur
Sæcula, & ignauos Poebus non voluere currus.

Hoc tamen ad populos, extremaque littora mundi
Sternet iter *a Nobrega* prior, Sociosque morantes
Cardine ab Hesperio, vasto clamore ciebit
Anxius, & longæ dequestus damna ruinæ
Relliquiasque Erebi; desolatosque penates
Cædibus assiduis. Nec surdis mixta procellis
Irrita vota cadent; aderit mox ipse beatæ
Iosephus largitor opis, gentique vetustus
Barbaricæ, trucibusque feris. Hunc Orphea credas
(Orphea si qua tamen spectarunt Secula) certè
Hic Orpheus hic verus erit: plus ille patrabit
Quàm quod in Odrysio mentita est Græcia vate,
Deque suo quidquid finxere Amphione Thebæ.
Excedent noua signa fidem, namque inclytus auctor
Haud dubitanda dabit, quæ vel tenor integer æui
Vel fidei proauitus honor, vel celsa Tonantis
Maiestas rudibus populis credenda probabit

a Emanuel Nobrega venit in Brasiliam ante Iosephum an. 1549. Iosephus autem venit an. 1553. vbi vixit annis 44.

Qualis erat quondam cultor florentis Edeni
Fortunatus a *Adam*, cum necdum credulus angui
Coniugis aut monitis necdum pellacibus ictus
Postera fatali vitiasset sæcula pomo;
Cum mare, cum tellus, rapidi cum machina cæli,
Cum volucrum pecudumque greges cœpere recentis
Imperium sentire Ducis, nutumque secutæ
Admisere feræ faciles Rectoris habenas,
Nos talem tantumque damus: Quin noster Adamo
Iosephus mirandus erit, cælestia namque
Munera, fortunamque omnem, quam nactus ab ortu
Primæuus genitor, calcata lege supremi
Numinis, Elysiis æternum exclusus ab aruis
Perdidit; hanc noster culpæ illætabilis osor,
Iustitiæ, rectique tenax, cum luce repertam
Seruabit, vincetque suos virtutibus annos,
Insontis meritò nomen sortitus *Adami*.
Nec vacuos decorum titulos, nec vana crepabit
Nomina, sed vastis implebit nomina rebus.
Hunc veluti lapsum stellanti ex æthere numen
Conspicuum heroem natura verebitur omnis,
Dulcibus obsequiis semper parere parata.
Illius ad nutum liquido de gurgite phocæ
Prosilient, sacrasque manus contingere Trutta
Gestiet, & blandis animam deponere in vlnis
Dedignata dein reddi natalibus vndis.
Nec volet æquoreæ palmam concedere genti
Obsequiosa cohors volucrum, namque agmine denso
Anteuolans iussus, humeros, & nuda beati

Colla

a Ioseph. Anchieta dictus Adamus innocens. Vide egregium eius elogium in Bibliotheca Scriptorum Societatis edita à P. Alegambe.

Colla ſenis circum placidis alludere pennis
Ardebit: quin ſæpe polis, & nube relicta
Defluet in digitos modulatrix ruris alauda,
Et carmen ſociale canet, monituque benigno
Pandet ad inſolitas reſonantia guttura laudes.
Huic nemorum Siren, campeſtribus æmula turmis
Sæpius è platano, frondoſæ aut ilicis vmbra
Feſtiuum Philomela melos, diſcrimine miro
Inſtituet, (iuuat auditor *Ioſephus*) & omnes
Vno dulciſonos imitabitur ore choraulas,
Alituum quandoque greges (mirabile viſu)
Subter anhelantem cum Sol coquet igneus orbem
Vndique conuenient, ſudumque per aëra lapſæ
Remigio alarum, ceu nube repentè coactâ,
Obtendent placidas Phœbæis æſtibus vmbras:
Incumbentque ratem ſupra, magnumque carinæ
Depoſitum, ſocioſque viæ, properante a Canoa
Stipabunt alacres, & amica ad littora ducent
Aſſiduè tenſis æquo libramine pennis.
Obſequia hæc volucrū; ſed & his æquanda ferarū,
Prompta miniſteria, & mites animalibus iræ,
Et placidi rictus, atque exarmata poteſtas
Tigridis, & taciti tanto ſub Principe pardi.
Quæ Braſilos implet longa formidine ſaltus
Occurſu metuenda ſuo mortemque fugamque
Indigenis Panthera vehens, oblita furorem
Sanguineamque famem, *Ioſepho* innoxia contra
Ora feret, Dominique tremens veſtigia lambet.
Ibit & his ducibus per opaca ſilentia noctis
Horrenteſque vmbras nemorum ſecurus, & altas
In precibus tenebras his ſtipatoribus vſus

 Extrahet,

a Genus nauigij in Braſilia.

Extrahet, ac reduci dum pallescentibus astris
Lustra gradu releget, pariter præeuntis amicum
Stipabit Panthera latus, nec desinet illi
Ire comes, donec victa caligine noctis
Deuia adorato repetat spelæa Parente.
Talis ab horrendis concessa cubilibus vltrò
Commendat tutela Patrem, roburque supremi
Artificis, cui sæua tigris, cui fœta leæna,
Pantheræque truces, posita feritate repentè,
Si iubeat, tenera mansuescunt mitius agna.
Quid tibi nunc colubros, formidatosque cerastas
Et simili nusquam metuendos igne chelydros
Ad vocem trepidare Patris, virusque malignum
Sistere, & appressæ sine noxa illudere plantæ
Commemorem? fuit, heu! primis genitoribus olim
Letifer, & longam diris afflatibus anguis
Natorum infecit seriem. Vis sæua veneni
Durat adhuc, colubrique furor mortalia terret
Pectora. Tu solus nimirum, *Anchiéta*, nocentum
Monstrorum domitor, nec linguæ tela trisulcæ,
Neue iubas stantes, diræque insignia frontis
Sibilaue horrescis: verùm discrimine nullo
Languida cærulei demulces terga colubri
Intrepidus, gremioque foues innoxius hostem.
Scilicet hæc summis concessa licentia Diuis.
Quid? quod & ingentē quamquā rationis egena
Agnoscent elementa Patrem? nam sæpius imbres
Iam iam impendentes, capitique immanè minantes
Sistet, & attonitis præscribet iura procellis.
Illum adeò Oceanus, supremi in margine ponti
Astra implorantem, ac lacrymis peregrina rigantem
Littora, & immensi raptum dulcedine cœli
Curuat

Curuata in ſpeciem montis circum affluet vnda
Securum, certumque ſui, nec auara cauentem
Æquora, nec ſalſa metuentem aſpergine tingi.
Talis Erythræo quondam conſiſa profundo
Iſacidûm numeroſa cohors, mirante Canopo
Longius immani diſcedere vidit hiatu
Marmoreos latices, & circumſtantibus altè
Fluctibus, hinc atque hinc ſiccas calcauit arenas
Prodigio perculſa nouo. Res nulla Tonanti
Ardua, diuinos obſeruant omnia nutus.
Quid tibi vim mortis domitam, lethique furentis
Triſte ſatellitium, morbos, febreſque, luemque
Funeream, longa cum tempeſtate malorum
Ioſephi imperio procul ablegata renarrem
Sedulus, atque imis animas migraſſe ſepulcris
Atque redonatas luci, & luſtralibus vndis
Inſolito Braſilas impleſſe horrore cateruas?
Grata quidem ſeries; verum facta omnia longus
Percenſere labor: veniet qui nobilis æuum
Digerat herois, ſcriptiſque illuſtribus ornet.
Hæc vbi dicta: nouus *Naturam*, ipſumq; *Loiolam*
Afflauit vigor, & Braſilis noua gaudia campis
Inſonuere, ipſi montes, valleſque profundæ.
a Itania b Baiæq; ſinus, ſcopulique tremendæ
c Caribanæ, & lætis plauſerunt æquora lymphis.
Proxima feſtiuos ſenſit *d Paraquaria* motus
E ſummis arrecta iugis, gyranſque per orbem

a Itania Regio Braſiliæ aſpera, & ſaxoſa iuxta mare, quam ſæpè percurrit P. Anchieta. b Baia, ſinus eſt ampliſſimus, & amœniſſimus Braſiliæ totius, iuxta quam eſt regia Luſitanorum ciuitas ædificata, nomine S. Saluatoris. c Caribana regio ſaltuoſa in America Meridionali verſus mare.
d Paraquaria. Regio inter fretum Magellanicum, & Braſiliam, verſus oceanum Atlanticum.

Lumina, mox altis latè loca vocibūs implet.
Quis nouus incubuit Brasilis Deus? omnia certè
Lætitia plausuque fremunt, liquidoque meatu
Labitur in nostras Echo resonabilis oras.
Esse quid hoc dicam? summi præsaga triumphi
Signa reor, sed causa latet. Vix talia secum
Ediderat, summo speculatrix ardua colle.
Cum subitò arrepto nitidum per inane Loiolā
Ales adest, geminique tuis, a *Paraquaria* felix
Insedere iugis proceres, propiusque rogantem
Edocuere nouos *Brasila* telluris honores,
Quidque hilares fremitus, exauditusque per auras
Clamor, & innumeris quid vocibus innuat Echo.
Vt causæ patuere boni, manifestaque plausus
Argumenta, repèns mœsto *Paraquaria* vultu
Procubuit, lacrymisque solum, gemituque profundo
Astra replens. Méne, ô Diuūm placidissime, dixit
Deseris? & nostras, *Brasilūm* memor, aure querelas
Respuis auersā, dedignarisque precantem?
Si pietas germana tibi est, si ducis ab astris
Mite genus (nam maior honos, roseusque per ora
Fulgor, & augusto spirat reuerentia vultu)
Si dexter placidusque venis, si certa medendi
Iura tenes, largire manum, meque exime pœnis
Quas tolero, pridem graue & illætabile pondus.
Impietas adnata meis a stirpe colonis
Me premit, atque imo gemebundam inuoluit Auerno.
Exitium nec sola queror, mecum omnia circum
Regna gemunt, similes delamentata ruinas.

Illiuc

a Paraquaria Regio inter fretum Magellanicum, & Brasiliam, versus oceanum Atlanticum.

Illinc auriferis opulenta *a Peruuia* fossis
Inuentas malè plorat opes, queriturque sub auro
Stare scelus: fuluo nam gens damnata metallo
Quò magè succussæ scrutatur viscera terræ,
Hoc erebo sibi sternit iter vicinius: & iam
Heu! Phlegethontæas propius mugire cauernas,
Verberaq; Eumenidũ, gemitusq; & vincla nocentum
Audit, & (ô tenebras! ô corda ignara futuri!)
Nil horret fatale malum, quò destinat illam
Auri dira sitis. cui iam vice numinis, aurum est
Atque auro venale scelus, nihil æthera curat.
Illinc horrificis vallata paludibus, ingens
Mexica b stat Regio, portusque & littora mundi
Hospita, collectos Boreaque Austroque tepenti
Admissura viros: Illuc cum mercibus intrat
Excelso fortuna gradu, sed crimina merces
Exæquant; meruit dudum gens impia fulmen.
Hinc lacrymæ, hinc ingens Patriæ timor: vndiq; cladē
Iure timet fæcunda reis; si grandine tellus
Vapulet, aut densus si decidat æthere nimbus,
Si tonet, aut grauidis saliant è nubibus ignes,
Horret aquas, tonitrus, & ad omnia fulgura pallet,
Sic sceleri est formido comes. Nunc verò *c Chilenses*,
Virginiam d Canadamq; e vide, vastoque sonantem

a Peruuia regio est Americæ meridionalis, auri inprimis ferax, in ea vrbs primaria, est Lima, vbi regia Sedes.

b Mexico ciuitas regalis in Noua Hispania; in ripa lacus ad 6. Leucas longi sita, nobilissimum noui Orbis emporium.

c Chilum regio inter Peruanum regnum, & fretum Magellanicum, ad mare Pacificum.

d Virginia, Regio est vltra Canadam, versus septentrionem.

e Canada regio est in noua Francia; quæ subest Regi Galliam.

a *Quisqueiã*, *Cubamq́;* mari; & quæcũq; b *Maragnõ*
Aut *Parana*, aut liquidis *Argenteus* amnis oberrat
Flexibus; horrenda Scelerum contage laborant;
Quam neque bis Paranæ, neque totis eluat vndis
Oceanus. Malè culta suum qnoque c *Florida* nomen
Iactat inops floris. Quid cetera regna pererrem
Tam propriis metuenda sonis, quàm moribus? omnes
Heu! populos nox vna premit. Plebs barbara nullum
Vel numen confessa perit, vel supplicat aris
Mentitos venerata Deos: Tandem optime Diuûm
Quisquis es, exitio mundi pereuntis (vbique
Cuncta labant) succurre precor. lux vna dolendas
Accumulat strages, nec habent amissa regressum.
Si potuit miseranda tuos inflectere sensus
Brasiliæ species; nostro mollire precatu
Te liceat lacrymisque: vides oculosque, sinusque,
Telluremque meis madidam nunc imbribus: Ecce
Qua patet: ardentes tibi tendit *America* palmas,
Æquoreas cautes, &, quos alit ipsa, leones
Lamentis motura suis. Tu dulcis Olympi
Progenies poteris nostri suspiria mundi
Spernere, & immotus lacrymas spectare cadentes?
Non poteris, modò nota tua est clementia, certè
Non poteris. Nec verò velim, mitissimus ales
Subiicit, ad tantos talesque rigescere planctus,
Nec valeo; non marmor ego, nec ferrea gesto
Viscera

a Quisqueia, quæ & Hispaniola dicitur, & Cuba duæ sunt insulæ celebres in America ab Hispanis detectæ.

b Maragnon, Parana, & argenteus amnis, vulgò de la plata fluuij sunt maximi, & argenteus præsertim, qui 40. leucarum ostio mare ingreditur.

c Florida, Regio Americæ septemtrionalis, ab Hispanis inuenta die Paschatis, quod ipsis florida dicitur, vnde & nomen inditum.

Viſcera, ſed veſtris molleſcere nata ruinis.
Aduenio vates dexter tibi, mitte querelas,
Mox votis maiora feres, tibi ſpondet olympus
Subſidium: Venient, venient de ſtirpe *Loiolæ*.
Quem cernis, teneoque lubens, animoſa nepotum
Agmina; & audaci trans Acroceraunia paſſu,
Saxaque, & abruptis obſtantia flumina ripis,
Grande iter, occiduum longè Titana ſecuti
Inſtituent, ritusque ſacros, legesque verendas
Attonitis pandent populis: mox victa recedet
Impietas, minuique ſuum ſtyx atra queretur
Imperium: Nec longa mora eſt, cum ſupplice turba
Cernua adoratum celebrabit *America* numen,
Quod felix *Europa* colit. Tot iure beata
Pollicitis nunc eſſe potes; mihi vera tuenti
Credite, prouenient pacatis aurea rebus
Sæcula; funeſtæ facies, odiumque, furorque,
Sanguineumque nefas, atque execranda libido,
Iræque inſidiæque, & bella infanda, ſub orcum
Diffugient, *Orbemq́ nouum* Themis alma reuiſet
Cælicolis ſtipata: Deo famulabitur ætas
Omnis, & æternos Templis imponet honores.
Talibus extemplò *Paraquaria* concita dictis
Subſiliit, lætiſque ſonoribus impulit auras,
Queis pariter tellus pontuſque, atque arduus Æther
Intremuit viditque ſuos concurrere montes
America, & placidis trepidare aſſultibus arua.
Horruit hos fremitus, atque erumpentia latè
Gaudia, nigrantis dux indignatus Auerni,
Pertimuitque nouos motus infeſtaque regno
Arma ſuo, didicitque malo rumore (renarrat
Eumenis hoc) Acheronta peti, lucemq́ propinquam.
Affore,

Affore, qua niueis inuecta iugalibus, *Orbem*
Alma fides pietaſque nouum, reſonantibus aruis
Intret ouans, domitoq; vmbrarum rege triumphet.
Vritur hinc Erebi ductor, totoque remugit,
Inſanus barathro, furiaſque, & fulmina, & iras,
Concipit Orcino dignas Ioue, Tartarus illi
Attremit, & diro trepidat chaos omne tumultu.
Ille igitur crudelè rubens, dextraque Megeræ
(Proxima nam ſtygio ſtabat fortaſſe tyranno)
Lampada fumantem rapiens, quaſſanſque reuulſis
Flammiuomum diadema comis, immania laxat
Triſtibus ora modis: Quonam vſque ô dure nocentum
Arbiter in noſtros nimium furibunde dolores
Dœſeuis vltrice manu? ſemperque recentes
Cudis in ora faces? an non ſatis illud acerbum eſt
Olim ſtellifera quod deturbatus ab arce
Fulminis in morem, flammiſque rapacibus vſtus
Nunc tota tellure premor, iubeorque relictum
Deſperare diem: niſi nunc quoque vindice dextra
Deſuper incumbas, & vulnera noſtra retractes
Immitis, pridemque poli de vertice abacto
Auram interdicas, vſurpatiſque tot annos
Sedibus eiectum, cogas ſeruare tenebras
Tartareas, noctemque meam? Vah! plurima clades
Imperijs inuecta meis (quis comprimat iras?)
Iam ſtomachum bilemque ciet. Scit ductor aquarum
Tybris, & armiferi quondam mihi ſacra Quirini
Mænia, quæ pridem noſtrum ceruice ſuperba
Auerſata iugum, tibi vindex maxime (totus
Hinc fremo) de noſtris templa erexêre ruinis.
Vah! pudet opprobrij! ditis lacrymabile damnum
Scit Ligeris, Rhodanuſq; Pater, ſcit Rhenus & Iſter
Scit

Scit Tamesis, scit ripa Tagi. Qui Ductor habebar
Terrarum, Princepsque potens, cui thure Sabæo
Vrbibus innumeris quondam delubra calebant,
Fumabatque nouo pecudumque hominumq; cruore
Ara frequens; propè nunc toto proscribor ab orbe
Infelix: nostris restabat *America* sceptris
Hac submissa tenus, verum (furor iraque mentem
Exstimulat) nunc illa meas euadere dextras
Nititur, & latio rectas de cardine leges
Audebit præferre meis. ô inuida nostris
Semper *Roma* bonis! Testor cocytia regna,
Horrendosque stygis latices, per sceptra, facemque
Quam teneo, iaculorq; lubens, dabis æmula pænas
Quas dolor, & rabies, & nostri iniuria regni
Poscit. habes superos, fateor, numenque verendum,
Hinc pete suppetias. Virtus mihi numen, & ira
Qua regor, hac vtar. si cedat *America* cælo,
Possessaque diu iubeat discedere terra,
Inueniam dotale solum, rursumque relictos
Immigrabo lares, totamque furoribus atris
Complebo *Europam*: iuuat huc remeare, nouumq;
Hic audere nefas, quod tartarus horreat: imis
Conceptũ Eumenidũ thalamis, hic educo Monstrum a
Dirum, immane, ferox, monstrũ me Principe dignum,
Quod *Romam* superosque petat. *Germania* nostrâ
Id peperit curâ, venturæ nescia cladis,
Quam duce me terris vesani turbinis instar
Inuehet. O superi! sic nobis vltio parta est;
Nec satis hæc vindicta: mihi parat altera tela
Sequana, Lemanique lacus, nostrisque *Geneua*
Auspiciis celebris, nec tela imbellia, verùm

Rore

a Martinus Lutherus hæresiarcha in Germania.

Rore Medusæo, nostroque imbuta veneno
Sanguinea torquenda manu, nos cuspide tali
Imus in excidium fidei, sedisque latinæ.
Inde Caledonijs *a* Tamesis propè littora terris
Dissidium fatale seram. Rex ipse malorum
Fomes, & illicito pellex inducta cubili.
Sic damnum pensare iuuat: sine iure vetustis
Sedibus exturber, iuro, non segnis adempti
Vltor Iuris ero: nostris conatibus Æther
Obijciat quodcumque caput: trahat ipse *Loiola*
(Quem *Manresana* clausum queror vsque cauerna)
Myriadas pugilum secum: mille agmina solus,
Solus in arma voco. Fixa est sententia, nunquam
Ferre retro gressus, sed signis obuia signa,
Arma armis, vires opponere viribus: ibo
Ibo equidem, ac toto bellabor in agmine primus.
Infesto si marte cadam, cecidisse iuuabit,
Dum cadam in aduersas acies, lapsuque tremendo
(Qualis ab excelsâ quondam fuit ætheris aulâ)
Vndique præcipitis mundi compage soluta
Cuncta pari mecum videam conuulsa ruinâ.
Talia dum diri Rex implacabilis orci
Intonat, hostilesque minas dispensat in orbem
Oppositum: interea *Loiolæ* diuus Achates
Americæ ingentes demonstrat ab æthere tractus,
Venturisque procul lætas heroibus vrbes,
b Orruiũ, Meridam, Cuzcum, Limamq; Chilumque,
Et

a Tamesis celebris Angliæ Fluuius, qui vrbem Londinum regni caput alluit, vbi Anglicanum schisma, quod sub Henrico VIII. contigit aliquot post annos, prædicit dæmon ex aliqua coniectura, vti & Caluini Hæresim, de qua ante.

b Nomina variarum vrbium, & regnorum etiam, vbi Societas sedes habet.

Et Piratiningam, Pernambucimque, Quitumque,
Et dites *a* Potosi campos, & Mexica regna,
Atque alia ex aliis surgentia mœnia terris
Designat radiis illustribus. & simul atri
Regnatorem Erebi, diras, & sæua vomentem
Fulmina, cum tonitru, subitis fulgoribus ictum
In Phlegethontæas cogit remeare latebras,
Fatalesque rogos. Tum sic affatur amicum
Loioliden, age, sume animos, licet atra minentur
Tartara, & emoto spumet styx liuida fundo
In vestrum iurata genus: dominantibus ima
Sub pedibus styx semper erit, furiasque minasque
Insultusque truces, cunctas & *b Alastoris* artes
Euinces bellante Deo: iam risimus istas
Manresæ propè tecta minas: & fulgure primo
Aspectus trepidasse mei modò ditis alumnos,
Et refugos nota sese occultasse sub vmbra
Spectasti, dilecte comes: Quare exime cunctos
Corde metus, tibi numen adest; bella omnia contra
Hæc tutela sat est. Sed iam nos septima cernit
Omnibus errantes terris cæloque sub omni
Puniceis Aurora genis monet hora regressum,
Et iam immensa leui decurrimus æquora pennâ,
Nunc prior est repetenda quies: quare ocyus euro
Manresæ placidos iter instauremus ad agros.
Dictorum sed viue memor, lustrataque celsâ
Mente foue, sortemque tuam, sortemque tuorum
In maius (quoniam tibi præsens annuit æther)
Prouehe; & incertis ne fors ambagibus erres,

Effigiem

b Potosi, Regio aurifodinis celebris, iuxta vrbem dictam de Plata.
b Alastor, hic accipitur pro cacodæmone, vel malo genio.

Effigiem sectare datam, nullique futura
Detege: sunt magnis prastanda silentia rebus.
Dixit, & actutum, lapsisque citatiùs astris
Aëra per liquidum, dulces traduxit ad vmbras
Manresaq́; lares comitem, plenamque supremis
Prodigiis animam gelidos dedit ire per artus:
Occidui cum iam Titan sub margine ponti
Emeritos laxaret equos, mundoque subiret
Vmbrifero nox picta sinu; circumque *Loiolam*
Exanimem, longos mentis mirata sopores
Adstaret glomerata cohors, rerum vltima tandem
Opperiens: subitò cum circumstante coronâ
Attonitâ, tenuem vix admittentia lucem
Lumina, discussa cælestis imagine somni
Attollit *Loiola* grauis, stupet aere primo,
Quæ loca, quis populus, quonam dilapsa recessit
America, & magnis longùm comes additus ausis
Aliger æthereus? tandem sibi redditus; altùm
Ingemit, O IESV! nec plura effatus, amicâ
Erigitur dextrâ, & medius vallante caterua
Progreditur, lentaque mouet vestigia planta
Exhaustus sacris excessibus; vnde propinquas
(Sic placuit cunctis) *Lausi* defertur in ædes.
Hic fragiles artus, & pallescentia iussus
Membra locare toro, modicamque haurire quietem,
Languidaque apposita ieiunia soluere mensa.
Paruit, ac tandem *Lauso* hortatore paratas
Sustinuit libare dapes, gelidumque liquorem
Ducere, & amissas reuocare in viscera vires.
Interea celeri *Manresam* peruolat vrbem
Fama gradu, septem post interualla dierum
Ingentesque animi raptus, rursum æthere nostro
Loiolam

Loiolam (ſors mira) frui, ſolitumq́ue refuſis
Luminibus ſpirare diem, *Lauſiq́;* benignos
Intrauiſſe lares. igitur mox limina circum
Vnda fremit vulgi, vario concuſſa tumultu
Tecta ſonant, nihil ordo iuuat: pars viſere flagrant
Ora viri reducis, tanti pars quærere cauſas
Prodigij: verùm *Lauſus* (cui cura *Loiolæ*
Plurima) ſubueritus turbam, vulgiq́ue calentis
Murmura, ſublatâ compeſcuit agmina dextrâ:
Atque ad ſacra dein alio velut orbe reuerſi
Ora, torumq́ue Patris placidè conuerſus, amicâ
Sic voce orditur: fecere ſilentia cuncti.
Ecce propè octonæ fugerunt ordine luces,
Ac noſtro toties flammas accendit olympo
Heſperus, & ſolitas duxerunt aſtra choreas,
IGNATI, cum te raptam mortalibus oris
Enthea vis animi mirantibus intulit aſtris,
Spectatorem operum magnorum, & noſtra peroſum
Sæcula, te lætis complexibus ambiit æther:
Haud dubium, quin Te, cunctarum conſcia rerum
Mens auguſta Dei, maiori lumine veri
Imbuerit; ſummiq́ue fores reſerarit olympi
Hinc aliquid ſublime, ingens, clariſq́ue videndum
Cælicolis ſpectaſſe datum eſt: quare, optime nobis
Hoſpes viſa refer, neque longa exordia necte.
Aſpice, iam dudum ſeriem cognoſcere rerum
Exceſſuſq́ue tuos, votis ingentibus ardet
Circumfuſa cohors, ne nos fruſtreris hiantes.
Hæc *Lauſus*; verùm hæc *Lauſo Loiola* reponit.
Lauſe parens, memoranda petis, neque digna negari:
Sed vox deficiens fractæq́ue in corpore vires
Pandere viſa vetant, & iam opportuna quieti

Nox

Nox cadit, & facilis fessis irrepere somnus,
Quare ego te venerande senex, hisque obuia tectis
Turba precor, tantos imponere parce labores.
Ne modo succumbam longis narratibus impar.
Non frustror pia vota; olim mi *Lause*, quod optas
Scire dabo, & nostræ pandam penetralia mentis.
Hæc vbi defecto placidus Pater edidit ore,
Detumuere animi, vulgique volubilis ardor
Subsidit, sensimque suis excedere tectis
Turbam obluctantem, visusque ad sacra *Loiolæ*
Ora retorquentem *Lausus* iubet. Vnde penates
Quisque suos, auidi secreta ediscere tendunt,
Expectantque diem quâ se *Loiola*, volenti
Explicet, & visos ab origine narret honores.
Postera vix reserata dies, cum plurima rursum
Turba ruit, Lausique fores stipatque feritque
Loiolam inclamans: verùm ille fauentibus vmbris
Tecta reformidans *Lausi* vulgique tumultus,
Debilis ad tacitos remeauerat antè recessus.
Sed quid ibi arcano *Loiola* exegerit æuo,
Quid Lausus, Lausiue domus, quid cetera turba,
Manresæ, haud vnquam meritis conatibus æquem.
Et me iam longis terrarum erroribus actum
Meta vocat: *Manresa* vale, tuque hospes, & almæ
Vrbis amor *Loiola*; tui vestigia cursus
Qua licuit, tentasse sat est: scit cætera cœlum.
Hæc super IGNATI raptu, visisque canebam,
Dum procul aduectos vario de cardine mundi
Roma Patres complexa videt, gestitque tueri
Canitiem venerandam æuo, quæ rebus agundis
Consci-

Consiliisque potens, dignum post funera *Muti* a
Ductorem lectura coit dumque alite fausta
Quinquagena super felix suffragia fundit
Vrna Tibi, summosque lubens largitur honores
Imperioque tuo gaudet *b*, *Carrafa*, modumque
Grandibus imponit curis, queis omnis IESV
Coetus in ancipiti stabat suspensus: in vnum
Incubuit sors læta caput; qui vincere dignus
Vicit io: cunctos *Vincentius*; vnde canoros
Tibris agit fluctus, septemque per auia sparsi
Montibus assultant plausus, lateque micantes
Parthenope iaculata faces, manifesta serenæ
Signa dedit lucis, festo cui mixta boatu
Tormenta, & lætis strepuere sonoribus æra.
Nos quoque Belgiacis conati emergere campis
Nos animæ propulique tui, tua cura, triumphis
Gratamur, *Carrafa* tuis; gradimurque canentûm
Immixti cuneis, aurigantemque secundo
Insequimur clamore ducem. Tibi sidere dextro
Fulgeat, & faciles æther concedat habenas;
Liuoremque supra, Latio sis longa voluptas,
Sis communis amor sociis: hoc fræna capesse
Omine quo *Loiola* Parens, clarusque sequentum
Ordo ducum rexit. Vigeat Te Præside, IESV
Relligio, sæuis quæ colluctata procellis
Hactenus, vt rabido rupes immota profundo
Vsque stetit, stabitque dein (sic spondet olympus,
Hostiles

a Obiit R.P. Mutius Vitellescus Generalis VI. Societatis 1645. 9 Febr. ætat. 81 post 30. annos regiminis.

b In huius locum electus 1646. 7. Ianuarij. R.P. Vincentius Carrafa, comitiis generalibus, suffragiis 52. primo scrutinio, ex Patribus 38. ferentibus suffragia.

Hostiles inter furias, ringente barathro
Nequidquam, domitrix orci, secura Tonantis
Certa sui, instabilis ludet ludibria sortis,
Succrescensque sibi in sese, numerosa videbit
Sæcula, degenerem nunquam passura senectam.

FINIS.

Ad Maiorem Dei, ac Deiparæ Virginis gloriam, & SS. Ignatij, & Francisci Xauerij honorem.



BREVIS CATALOGVS PROVINCIARVM SOCIETATIS IESV.



D clariorem intelligentiā nonnullorum, quæ his libris, ac præſertim lib. 2. pag. 67. & aliquot ſeqq. continentur, lubet hîc ſubtexere breuem Catalogum Prouinciarum (cum nonnullis domibus ac Collegiis celebrioribus) quæ in variis orbis partibus, ab ortu Societatis vſque ad annum 1626. ſunt inſtitutæ.

Cui prolixior Catalogus Domorum, aut Collegiorũ vnà cum varijs Reſidentijs placuerit, poterit conſulere Imaginem 1. ſæculi à PP. Flandro-belg. editam, an. 1640. vbi pag. 237. longus & accuratus texitur. Extat & alius Catalogus Duaci impreſſus an. 1627. Et ab illo quidem anno varia acceſſerunt incrementa; quæ omnia percenſere in opere exiguo non vacat.

IN ITALIA

Prouinciæ quatuor.

Prouincia Romana.

In qua domus Professa, primaria sedes Societatis & domicilium R.P. Generalis vnà cum quinque Aßistentibus.

Collegium Romanum, &c.

Prouincia Veneta.

In qua ab anno huius sæculi sexto, multa Collegia habitari desierunt, ob causas quas hîc refricare non lubet.

Prouincia Mediolanensis.

Mediolani domus Professa, Collegium; Genuense Coll. &c.

Prouincia Neapolitana.

Neapoli domus Professa, Collegium, &c.

IN SICILIA

Duæ Prouinciæ.

Prouincia Sicula Occidentalis.

Panormi domus Professa, Collegium.

Prouincia Sicula Orientalis.

Messanæ domus Professa, Collegium.

IN SARDINIA

Prouincia vna.

Sassari domus Professa, Collegium.
Calari domus Professa, Collegium.

IN HISPANIIS

Prouinciæ quinq;.

Prouincia Lusitaniæ.

Olyßipone, siue Lisbonæ domus Professa, Collegium.
Colleg. Conimbricense, &c.

Prouincia Toletana.

Toleti domus Professa, Collegium.
Madridij domus Professa, Collegium, &c.

Prouincia Castellana.

Vallisoleti Collegium.
Salmanticæ Collegium, &c.

Prouincia Aragonensis.

Valentiæ domus Professa, Collegium.
Colleg. Barcinonense, &c.

Prouincia Bætica.

Hispali, siue Seuillæ domus Professa, Collegium, &c.

IN GALLIA

Prouinciæ quinque.

Prouincia Franciæ.

Parisiis domus Professa, Colleg. &c.

Prouincia Aquitaniæ.

Burdigalæ domus Professa, Colleg. &c.

Prouincia Tolosana.

Tolosæ domus Professa, Colleg. &c.

Prouincia Lugdunensis.

Lugduni Collegium, &c.

Auenione, Dolæ Collegium, &c.

Prouincia Campaniæ.

Mussiponti, Rhemis, Virduni, Nancæi, Collig. &c.

IN BELGIO

Prouinciæ Duæ.

Prouincia Flandro-Belgica.

Antuerpiæ domus Professa Collegium, &c.

Louaniense, Bruxellense Colleg. &c.

Prouincia Gallo-Belgica.

Collegium Duacense, Insulense, Leodiense.

Prouin-

Prouincia Anglicana

Continet Collegia in Belgio, in Diœcesi Leodiensi, & per varias Angliæ Prouincias; item in Italia, & Hispania.

In Hibernia, & Scotia

Residentiæ aliquot. Sunt etiam vtriusq; nationis Collegia in Hispania, & Romæ.

IN GERMANIA.

Prouinciæ quinque.

Prouincia Rheni Inferioris.

Collegium Coloniense, Treuirense, &c.

Prouincia Rheni Superioris.

Collegium Moguntinum, Herbipolense, &c.

Prouincia Germaniæ Superioris.

Collegium Ingolstadiense, Monachiense, &c.

Prouincia Austriæ.

Viennæ domus Professa, Collegium.
Collegium Gracense, &c.

Prouincia Bohemiæ.

Pragæ Domus Professa, Colleg.
Olomucense Collegium, Crumlouiense, &c.

IN POLONIA

Prouinciæ duæ.

Prouincia Polonica.

Cracouiæ domus Professa, Collegium, &c.
Collegium Posnaniense, &c.

Prouincia Lithuaniæ.

Domus Professa Varsauiensis.
Vilnæ domus Professa, Colleg. &c.

In Imperio Orientali Turcico

Nonnullæ Residentiæ sub varijs Prouincijs.

IN INDIA ORIENTALI

Prouinciæ duæ.

Prouincia Goana.

Goæ domus Professa, Collegium, &c.
Colleg. Salsetanum cum 19. Resid. &c.

Prouincia Malabarica.

Colleg. Corcinense, Malacense, &c.

IN INSVLIS PHILIPPINIS

Prouincia vna.

Collegium Manilanum, &c.

IN

IN REGNO SINARVM

Vice Prouincia.

Collegium Pachinense, & Nanchinense incohatum cum varijs Residentijs.

IN COCINCINA

Aliquot Residentiæ.

IN IAPONIA

Olim plura Collegia, & Residentiæ: nunc persecutione sæuiente deserta propè omnia, præter Macaum in Portu Chinensi, quod subest Regi Catholico.

IN AMERICA

Prouinciæ quinque.

Prouincia Mexicana.

Mexici domus Professa, Colleg. &c.

Prouincia noui Regni Granatensis.

Collegium Sanctæ Fidei, &c.

Prouincia Peruana.

Limæ Collegium, &c.

Vice Prouincia Chilensis.

Collegium Chilense, &c.

Prouincia Paraquariæ.

Collegium Cordubense, &c.

Prouincia Brasiliæ.

Collegium Bayense, Pernambucense, &c.

In noua Francia.

Residentia Canadensis, &c.

Anno 1627. iuxta Catalogum Duaci impressum, numerabantur in vniuersa Societate personæ 15574.



INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
quæ his Libris continentur.

A.

B.

Hostiles inter furias, ringente barathro
Nequidquam, domitrix orci, secura Tonantis
Certa sui, instabilis ludet ludibria sortis,
Succrescensque sibi in sese, numerosa videbit
Sæcula, degenerem nunquam passura senectam.

FINIS.

Ad Maiorem Dei, ac Deiparæ Virginis gloriam, & SS. Ignatij, & Francisci Xauerij honorem.



BREVIS CATALOGVS PROVINCIARVM SOCIETATIS IESV.

D clariorem intelligentiā nonnullorum, quæ his libris, ac præsertim lib. 2. pag. 67. & aliquot seqq. continentur, lubet hîc subtexere breuem Catalogum Prouinciarum (cum nonnullis domibus ac Collegiis celebrioribus) quæ in variis orbis partibus, ab ortu Societatis vsque ad annum 1626. sunt institutæ.

Cui prolixior Catalogus Domorum, aut Collegiorū vnà cum varijs Residentijs placuerit, poterit consulere Imaginem 1. sæculi à PP. Flandro-belg. editam, an. 1640. vbi pag. 237. longus & accuratus texitur. Extat & alius Catalogus Duaci impressus an. 1627. Et ab illo quidem anno varia accesserunt incrementa; quæ omnia percensere in opere exiguo non vacat.

IN ITALIA

Prouinciæ quatuor.

Prouincia Romana.

In qua domus Professa, primaria sedes Societatis & domicilium R.P. Generalis vnà cum quinq; Aßistentibus.

Collegium Romanum, &c.

Prouincia Veneta.

In qua ab anno huius sæculi sexto, multa Collegia habitari desierunt, ob causas quas hîc refricare non lubet.

Prouincia Mediolanensis.

Mediolani domus Professa, Collegium; Genuense Coll. &c.

Prouincia Neapolitana.

Neapoli domus Professa, Collegium, &c.

IN SICILIA

Duæ Prouinciæ.

Prouincia Sicula Occidentalis.

Panormi domus Professa, Collegium.

Prouincia Sicula Orientalis.

Messanæ domus Professa, Collegium.

IN SARDINIA

Prouincia vna.

Sassari domus Professa, Collegium.
Calari domus Professa, Collegium.

IN HISPANIIS

Prouinciæ quinq;.

Prouincia Lusitaniæ.

Olyßipone, siue Lisbonæ domus Professa, Collegium.
Colleg. *Conimbricense, &c.*

Prouincia Toletana.

Toleti domus Professa, Collegium.
Madridij domus Professa, Collegium, *&c.*

Prouincia Castellana.

Vallisoleti Collegium.
Salmanticæ Collegium, *&c.*

Prouincia Aragonensis.

Valentiæ domus Professa, Collegium.
Colleg. *Barcinonense, &c.*

Prouincia Bætica.

Hißpali, siue Seuillæ domus Professa, Collegium, *&c.*

IN GALLIA

Prouinciæ quinque.

Prouincia Franciæ.

Parisiis domus Professa, Colleg. *&c.*

Prouincia Aquitaniæ.

Burdigalæ domus Professa, Colleg. *&c.*

Prouincia Tolosana.

Tolosæ domus Professa, Colleg. *&c.*

Prouincia Lugdunensis.

Lugduni Collegium, *&c.*
Auenione, Dolæ Collegium, *&c.*

Prouincia Campaniæ.

Mußiponti, Rhemis, Virduni, Nancæi, Collig. *&c.*

IN BELGIO

Prouinciæ Duæ.

Prouincia Flandro-Belgica.

Antuerpiæ domus Professa Collegium, *&c.*
Louaniense, Bruxellense Colleg. *&c.*

Prouincia Gallo-Belgica.

Collegium *Duacense, Insulense, Leodiense.*

Prouin-

Prouincia Anglicana

Continet Collegia in Belgio, in Diœcesi Leodiensi, & per varias Angliæ Prouincias; item in Italia, & Hispania.

In Hibernia, & Scotia

Residentiæ aliquot. Sunt etiam vtriusq; nationis Collegia in Hispania, & Romæ.

IN GERMANIA.

Prouinciæ quinque.

Prouincia Rheni Inferioris.

Collegium Coloniense, Treuirense, &c.

Prouincia Rheni Superioris.

Collegium Moguntinum, Herbipolense, &c.

Prouincia Germaniæ Superioris.

Collegium Ingolstadiense, Monachiense, &c.

Prouincia Austriæ.

Viennæ domus Professa, Collegium.
Collegium Græcense, &c.

Prouincia Bohemiæ.

Pragæ Domus Professa, Colleg.
Olomucense Collegium, Crumlouiense, &c.

IN POLONIA

Prouinciæ duæ.

Prouincia Polonica.

Cracouiæ domus Professa, Collegium, &c.
Collegium Posnaniense, &c.

Prouincia Lithuaniæ.

Domus Professa Varsauiensis.
Vilnæ domus Professa, Colleg. &c.

In Imperio Orientali Turcico

Nonnullæ Residentiæ sub varijs Prouincijs.

IN INDIA ORIENTALI

Prouinciæ duæ.

Prouincia Goana.

Goæ domus Professa, Collegium, &c.
Colleg. Salsetanum cum 19. Resid. &c.

Prouincia Malabarica.

Colleg. Corcinense, Malacense, &c.

IN INSVLIS PHILIPPINIS

Prouincia vna.

Collegium Manilanum, &c.

IN REGNO SINARVM

Vice Prouincia.

Collegium Pachinense, & Nanchinense inchoatum cum varijs Residentijs.

IN COCINCINA

Aliquot Residentiæ.

IN IAPONIA

Olim plura Collegia, & Residentiæ: nunc persecutione sæuiente deserta propè omnia, præter Macaum in Portu Chinensi, quod subest Regi Catholico.

IN AMERICA

Prouinciæ quinque.

Prouincia Mexicana.

Mexici domus Professa, Colleg. &c.

Prouincia noui Regni Granatensis.

Collegium Sanctæ Fidei, &c.

Prouincia Peruana.

Limæ Collegium, &c.

Vice Prouincia Chilensis.

Collegium Chilense, &c.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
quæ his Libris continentur.

A.

B.

C.

D.

E.

F. Ferdi-

F.

G.

Promit-

L.

M.

N.

O.

O.

Oratio, siue Allocutio.

P.

P.

Q.

R.

S.

Suscipit

FINIS.

Errata.

Pag. 7. verſ. 7. R. P. N. Ignatij. lege S. P. N. ead. Pag. verſ. vlt. atque tantummodo, lege, eaque tantummodo, Pag. 17. verſ. 25. ergo tibi, &c. lege, ergo ſibi, &c. Pag. eadem verſ. vlt. Loiola, lege, Loola. Pag. 25. verſ. 28. Et laceras, lege, Et laceros. Pag. 35. verſ. 13. in fine verſus Loiola, lege, Loola. Pag. 42. v. 8. tentamine pugnæ, lege, tentamina pugnæ. Pag. 45. v. 17. Eumænidum, lege, Eumenidum Pag. 61. v. 16. niſi quid pridem niſi, pro ſecundo niſi, lege, mihi. Pag. 69. vltima notatione in littera d. Banaciani, lege, Bauariam. Pag. 74. v. 14. hæreſim, lege, hæreſin. Ibid. v. 18. optandæ incendia, lege, optanda. Pag. 80. Louanij, lege, LouanI. Pag. 83. in notat. 1. a. 2. linea, vetererem, lege, veterem,

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra-ſcriptus Societatis Iesv in Gallo-Belgica Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, facultatem do *Hieronymo Verduſſio* Typographo Antuerpienſi, vt Carmen à P. *Carolo VVerpæo* Societatis Iesv compoſitum, à pluribus eiuſdem Societatis viris eruditis lectum & examinatum, cui titulus eſt *De Rupeca Manreſano* S. Ignatii *Societatis* Iesv *Fundatoris Libri IV.* ad ſex annos proximos imprimere & liberè diſtrahere poſſit. Inſulis 6. Aprilis 1647.

Hvbertvs Willheim.

APPROBATIO.

C*Armen elegans, fluidumq́; R. P. Caroli VVerpæi, Societatis IESV, cui titulus, De Raptu Manresano S. IGNATII, nihil continens fidei aut bonis moribus contrarium, prælo dignum censui 28. Iunij 1647.*

GVIL. BOLOGNINO S. Th. L.
Can. & Lib. Censor Antv.

Hæc Errata miss[illegible] accepta sunt postquam Liber impressus fuit.

Pag.18.verſ.29.nec ab alio,lege,nec œbalio. P.74.v.14.Hæreſim,lege,Hæreſin. P.75.v.11 quæ tibi, lege, quæ ſibi. P.83. in notat.vetererem,lege,veterem. P.119.v.6.Seros dolor,lege, Serus dolor ibid.v.17.aductas,lege,aduectas. P.120.v.19. Iapones meo cura,lege,Iapones mea cura. P.122. v.17.cumq; ſic,lege,cumq; hic.P.126.v.19. Sæue,lege,Sæua. P.130.v.5.en huius. lege, en illius.P.135.v.19 iras,lege,aras. P.136.v.31. neq; in ſua,lege,meq; in ſua. P.145. in notat.detereit, lege, detexit. P.146.v.25.maieſtate verarum,lege, verendum.ibid. v 26.dominatorumq;.lege, Dominatoremq;.P.147.v.25.expoſcant,lege,expoſcunt. P.147.v.28.piget inter atroces,lege, piget ah piget inter atroces P.151.v.9.Mutoq; lege, multoq;. ibid.v.14.hoc tamen,lege,hos tamen. P.155.v.21. ipſumq; Loiolam,lege,Loolam.Sic etiã legendum P.156.v.8. P.159. v.4 & P.162.v.10 P.164.v.9.P.165.v.7. P.166.v.10. P.157. in notat.galliam,lege,galliæ. Pag.158.neq; bis,lege,neq; vis. Pag.161.v.9. rectas, lege, vectas. Pag 165. verſ.16 raptam, lege, raptum.

